

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE
From the Library Fund Subscribed in 1842
Rec^d Jan 1, 1845

DE

PROFESSORIBUS ET MEDICIS

EORUMQUE

PRIVILEGIIS IN JURE ROMANO

DISSERTATIO.

SCRIPSIT

ERNST THEODOR GAUPP

U. J. D. ET P. P. O.

IN UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI.

VRATISLAVIAE MDCCCXXVII.

APUD MAX ET SOC.

De

professoribus et medicis
eorumque
privilegiis in jure
Romano.

Specimen primum.

On ne peut jamais quitter les Romains: c'est ainsi qu' encore aujourd'hui dans leur capitale, on laisse les nouveaux palais, pour aller chercher des ruines.

Montesquieu XI. 13.

CONSPECTUS.

Praefatio.

§. I. Fontes et subsidia litteraria.

§. II. De initiis et incrementis liberalium disciplinarum et artis medicae apud Romanos.

§. III. De variis nominibus ac generibus professorum et medicorum.

§. IV. Exempla quaedam asperitatis et illiberalitatis in professores.

§. V. De privilegiis professorum et medicorum in universum.

§. VI. De muneribus et honoribus.

§. VII. De immunitate professoribus et medicis usque ad Constantini aetatem concessa.

---

§. VIII. De immunitate professoribus et medicis eorumque uxoribus ac filiis inde a Constantino usque ad Justinianum competente et a Justiniano quoque confirmata.

§. IX. De immunitate iis professoribus, archiatris et ex archiatris concessa, qui ordinis curialis fuerunt vel certis dignitatibus, veluti senatorum, comitum perfectissimorumve decorati sunt.

§. X. De comitiva ordinis primi professoribus quibusdam sub certis conditionibus ex lege tribuenda, archiatris vero palatinis ex more fere semper tributa.

§. XI. De salariis et annonis professorum ac medicorum.

§. XII. De ceteris privilegiis horum ordinum.

§. XIII. Epistola Antonini Pii, quae communitati Asiae de professoribus et medicis scripta est, et αἱρέσεις quaedam per eam propositae. L. 6. §. 2. 7. D. de excusationibus XXVII. 1.

§. XIV. Constitutiones quaedam Principum quarti et quinti saeculi, quae in simili argumento versantur, id est Leges 8. 9. 11. Cod. Theod. de medicis et professoribus XIII. 3. et L. 3. Cod. Theod. de studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolis XIV. 9.

PRAEFATIO.

In epistolis Plinii Secundi, ut fere in omnibus classicorum, qui dicuntur, auctorum Latinorum scriptis, multi sunt loci, qui unum alterumve juris civilis institutum vel regulam attingant et nisi ad argumenta eorum illustranda aliquid de jure Romano depromere velis, penitus intelligi non possint. Prae ceteris quidem epistolae libri decimi, a Plinio ad Trajanum vel a Trajano ad Plinium missae, in rebus civilibus versantur; attamen in eas quoque, quae novem prioribus libris continentur, quod dictum est, conferre licet. Non semel enim, si exempla quaedam desiderentur, de centumviris ac centumviralibus causis Plinius loquitur *I.* 5. *II.* 14. *IX.* 23. *ed. Gesner*; saepenumero de dotibus, de hereditatibus et legatis edisserit *II.* 4. *IV.* 10. *VII.* 11., aut principia quaedam juris civilis, veluti codicillos pro non scriptis habendos esse, qui non sint confirmati testamento *II.* 16., sive rempu-

blicam nec heredem institui nec praecipere posse *V*. 7., exhibet. Sed quod ad decimum librum attinet, epistolas hujus libri, quae Plinii sint, scriptas esse eo tempore, quo Legatus Caesaris pro Praetore in provinciam Bithyniam missus erat, satis constat. Ipsi vero, ut in epistola illa celeberrima, quae de Christianorum rebus conscripta est *X*. 97., ait, solemne erat, omnia de quibus dubitabat, ad Dominum Trajanum referre, quum nemo melius vel ejus cunctationem regere vel ignorantiam instruere posset. Hinc igitur factum est, ut fere totus ille liber decimus de rebus publicis ac civilibus agat; et quum in interrogationibus Plinii, tum in Trajani rescriptis non solum multa, quae ad statum provinciae Bithyniae ejusque urbium pertineant, sed alia etiam, quibus civilium rerum cognitio Romanarum augeatur, vel quibus conditio provinciarum in universum, vel denique varia diversissimaque juris instituta per totum imperium Romanum recepta illustrentur, coram nobis posita sint. Jam teneamus epistolam II., ubi Plinius gratias agit Imperatori, quod jure trium liberorum dignum eum putavisset; sed quaelibet fere argumento esse videtur, nam quod in epp. *LXXI*. et *LXXII*. de libere natis, expositis et in servitute educatis explicatur, in juris civilis provinciam invadit, perinde atque ea, quae in epp. *XIV*. *CXXI*. et *CXXII*. de diplomatibus dicuntur, quibus Plinius itinera quarundam personarum, nominatim uxoris suae sine permissu Principis, adjuverat, ad institutum juris publici, quod jam

apud Romanos bene erat compositum, cursum scilicet publicum *Cod. Theod. VIII.* 5. *Cod. Just. XII.* 51. referenda sunt. Sed ne loci nimis cumulentur, subsistamus in epistola LXVI, in qua Plinius Imperatorem de Flavio Archippo philosopho consulit et inter alia haec ei scribit: „Quum citarem judices, Domine, conventum inchoaturus, „Flavius Archippus vacationem petere coepit, ut philosophus.“ De conventu, id est judicio, quod a Proconsulibus aut Praesidibus in tribunali suo sedentibus certis temporibus in provinciis habebatur, plenius dixit *Theophilus ad* §. 4. *J. Qui et quibus ex causis manumittere non possunt I.* 6., nec est quod plura ea de re hic afferantur. Judicandi necessitatem inter munera personalia apud Romanos habitam esse constat. *L.* 78. *D. de judiciis V.* 1. *L.* 18. §. 14. *D. de muneribus et honor. L.* 4. Archippus igitur sibi ut philosopho hujus muneris vacationem competere pronuntiabat. Equidem vero hoc Pliniano loco admonitus, ut quatenus justa fuerit haec petitio Trajani jam aetate a philosopho quodam facta, paullo accuratius exquirerem, primum ad immunitatem philosophis generaliter concessam, deinde vero ab aliis ad alia eorum privilegia adductus sum, neque hanc viam deserere volui, donec tota haec res paullo diligentius explorata esset. Sed quae philosophis tributa erant juris beneficia, iisdem ceteri quoque professores, veluti grammatici et rhetores, neque solum magistri litterarum, sed medici etiam fruebantur; quid? quod jurisconsulti aeque ac Principes medicos ceterosque

illos doctores majori fere favore quam philosophos amplexi sunt. Igitur finibus quaestionum mearum paullatim prolatis, de professoribus et medicis eorumque privilegiis in jure Romano et Antejustinianeo et Justinianeo scribere pauca constitui, et jam temporis angustiae urgent me, ut dissertationis hac de re perscriptae non nisi partem primam examini eruditorum virorum submittam. Nihilominus vero opus videtur, ut conspectus singularum totius commentationis partium et hoc loco detur. Primum igitur qui sint fontes hujus materiae, quae subsidia litteraria, brevis facienda erit enunciatio; paucis deinde de initiis et incrementis liberalium disciplinarum artisque medicae apud Romanos praemissis, de variis nominibus et generibus professorum medicorumque disserendum erit. His enumeratis atque exemplis etiam aliquot severitatis in professores litterarum inprimis exercitae allatis, jam ad privilegia utrique generi indulta, digna haud dubie, quae prae ceteris hic tractentur, transgrediemur. Denique restant conditiones, ex quibus usus si non omnium, tamen quorundam horum privilegiorum pendebat; quas qui recte illustrare velit, quamvis eum epistolam Antonini Pii de professoribus et medicis *l.* 6. §. 2. 7. *D. de excusat.*, quae communi quidem Asiae scripta, sed toti orbi Romano conveniens a jurisconsultis habita est, potissimum prae oculis habere oporteat: tamen haud alienum a re videbitur, alias etiam quasdam leges, quae in simili argumento versantur, hoc postremo loco respicere.

§. I. Fontes et subsidia litteraria.

Saepenumero apud veteres scriptores, veluti Plinium utrumque, Suetonium, Dionem Cassium, Ammianum Marcellinum, Scriptores Historiae Augustae et alios, professorum ac medicorum privilegiorumque quibus fruantur, mentio fit. Per se vero patet, hujusmodi locos in variis multisque scriptis dispersos, enumerari hic non posse, sed potius ad explicationem singularum rerum, quibus testimonio sint, remittendos esse. Igitur non nisi in collectionibus juris Romani, et Antejustinianei et Justinianei, fontes argumenti nostri, qui proprie hoc nomine digni sint, requirendi esse videntur, eorumque numero inprimis quidem leges ac tituli sequentes habentur:

1. Lex 6. §. 1—12. Dig. de excusationibus XXVII. 1. Est locus Herennii Modestini, a quo librum utilissimum de excusationibus tutelae et curae Graeco sermone scriptum esse constat *l.* 1. §. 1. *D. eod.* Multa hujus libri fragmenta a compilatoribus Digestorum in librum eorum vicesimum septimum translata sunt et Graece scripta in Florentino codice celeberrimo leguntur. Sed ii codices mss., quibus vulgata Pandectarum lectio continetur, loco textus Graeci veterem quandam versionem Latinam exhibent, quae quamvis a quo facta sit, penitus non liqueat, tamen jam ante originem scholae Bononiensis exstitisse videtur. Nam quod de ceteris Digestorum locis, quae Graece scripta in Florentino codice leguntur, quorumque versio quaedam Latina in codd.

vulg. exstat, Savinius V. Celeb. nuper demonstravit, id est, hanc versionem Latinam a Burgundione Pisano saeculo duodecimo factam esse: hoc ad versionem Latinam locorum Graecorum, quae libro XXVII. continentur et Modestini sunt, ex ipsius Savinii sententia nullo modo conferre licet. *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter. Bd. III. S.* 445. *not.* 82. *IV. S.* 341 — 345. Accursius quidem in *glossa ad l.* 1. *pr. D. de excusat.* putare videtur, Modestinum ipsum quod initio Graece scripserat, post Latine vertisse; quae tamen opinio, cum nullis omnino argumentis nitatur et indoles interpretationis illius, multis in locis ac verbis barbaram quandam aetatem redolentis ei repugnet, prorsus rejicienda est. Ab Antonio Augustino, cui librum singularem et quidem eruditissimum ad Modestinum sive de excusationibus debemus (*Ev. Ottonis Thes. jur. Rom. Tom. IV. ed.* 2. *p.* 1559 — 1604.) cuique placuit omnes locos libri XXVII. Digestorum, qui Modestini sunt ab eoque Graece scripti, in linguam pure Latinam transferre, vetus illa versio saepenumero barbara interpretatio, ejus auctor barbarus interpres nuncupatur, et severius adhuc Jacobus Gothofredus de ea judicat, quum interpretationem eam omnium insulsissimam dicit. *Comment. ad l.* 3. *Cod. Theod. de med. et prof. XIII.* 3. *Tom. V. p.* 33. Sed quod ad editiones Pandectarum attinet, in fragmentis illis ex Modestini libro desumtis magnopere inter se discrepant. Nam Taurelliana nihil reddit nisi textum Graecum, qui in Florentino codice legitur; aliae veluti Leeuwe-

niana, Gebauero-Spangenbergiana et nova editio Lipsiensis, quam J. L. G. Beckius curat, eundem quidem sed cum versione Latina conjunctum; aliae denique, utputa veteres editiones saeculi decimi quinti, Haloandrina et inter recentiores Freieslebenianae, hanc postremam solam exhibent. Huc accedit novum discrimen earum editionum, quibus versio Latina, sive sola sive cum textu Graeco continetur; nam plerique editores nihil in illa, quamvis a Modestini sensu recedat, immutaverunt; nonnulli autem, veluti Haloander et Beckius eandem, quatenus a textu Graeco abhorreat, ex illo emendare conati sunt; sicuti et versionibus Burgundionis Pisani accidisse constat, quae postea aut aliquantum immutatae aut in quarum locum aliae versiones, utputa Alciati, Haloandri et al. substitutae sunt. *Savigny l. l. Bd. IV. S.* 341. *Not.* 22. Equidem in dissertatiuncula mea textum Graecum et veterem interpretationem Latinam, quatenus tamen sententias Modestini bene reddat, secuturus sum. Restat solum, ut libro illi singulari ab Ant. Augustino perscripto et jam supra laudato, praeter glossam commentarii Jac. Cujacii ad tit. Pand. de excusationibus addantur. *Cujac. Opp. ed. Neapol.* 1722. *Tom. I. pag.* 1011—1040. *Comment. ad leg.* 6. *pag.* 1024—1029.

2. Titt. Digestorum de muneribus et honoribus de vacat. et excusat. mun. — de jure immunitatis — de decretis ab ordine faciendis L. 4-6. 9. et lex 1. pr. §. 1—5. D. de extraordinariis cognit. L. 13. cum glossa et commentariis Johannis Voetii. *Tom. II. pag.* 1161—1168. 1173. 1178. 1179.

3. Fragmenta Vaticana §. 149. 150. ed. Rom. et Berolin. 1824.

4. Tit. Theod. Cod. de medicis et professoribus XIII. 3., cui respondent tres alii tituli: de comitibus et archiatris sacri palatii VI. 16. — de professoribus, qui in urbe Constant. docentes ex lege comitivam meruerunt VI. 21. — de studiis liberalibus urbis Romae et Constant. XIV. 9. cum paratitlis et commentariis Jacobi Gothofredi ed. Ritter *Tom. V. p.* 25–55. *Tom. II. p.* 106. 107. 113—115. *Tom. V. p.* 219—231.

5. Tit. Justin. Cod. de professoribus et medicis X. 52., cui respondent tres alii tituli: de comitibus et archiatris sacri palatii XII. 13. — de professoribus, qui in urbe Constant. ex lege comitivam meruerunt XII. 15. — de studiis liberalibus urbis Romae et Constant. XI. 19. cum glossa et commentariis Jacobi Cujacii, qui ad tres postremos libros Justin. Codicis scripti sunt. *Opp. ed. Neapol. Tom. II. p.* 755—758. 908. 909. 809—810.

6. Omnes fere tituli Justin. Cod., in quibus de muneribus et honoribus, et de excusationibus munerum agitur. Sed inscriptiones eorum describere nimis longum foret. Sunt titt. 40—51. 53—76. lib. X., et praeter glossam commentarii Jac. Cujacii jam laudati huc etiam pertinent. *Opp. Tom. II. p.* 738—755. 758—780.

7. §. 15. J. de excusat. tutorum vel curatorum I. 25., cum commentariis Theophili et inter recentiores Arnoldi Vinnii. *Ej. Comment. ed. Norimb. p.* 139.

Haec de fontibus et commentariis, quibus illustrantur. Quodsi de aliis etiam subsidiis litterariis pauca sint annotanda: exstat quidem haud exiguus numerus scriptorum et maxime dissertationum, quae in argumento a nobis tractando sive omnino sive aliquatenus tamen versentur, earumque titulos in Lipenii bibliotheca reali juridica ac supplementis hujus operis inprimis sub vocibus „professores“ et „medici“ inspicere licet. Sed uti in scriptis, quae per occasionem aliquam composita sunt, fieri solet, pleraque eorum rariora facta sunt et in bibliothecis urbis nostrae frustra requiruntur. Pauca restant, quibus uti mihi datum fuerit, et sunt haec opuscula: *Herm. Conringii dissertatio ad legem* 1. *codicis Theodosiani de studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolis. Helmstadii* 1655. *pag.* 1—102. 4. dissertatio doctissima quidem, sed quae minus ad rem nostram faciat — *Ott. Phil. Zaunschliffferi exercitatio juridica de privilegiis professorum, Marburgi Cattorum* 1685 *pag.* 1—27. 4. Sed in hac commentatione de conditione ac privilegiis professorum non solum ex jure veteri Romanorum sed medii quoque aevi ac recentioris aetatis ratione habita agitur, ita ut exigua tantum ejus pars huc spectet. Quae vero ex jure Romano deducta sunt, satisfacere posse nullatenus videntur — *Joan Frid. Eisenharti dissertatio ad legem* 6. *C. Just. de professoribus et medicis, in ejusdem Opusculis juridicis varii argumenti dissert. XII. p.* 233—248. 4., quae unice fere in laudibus artis poëticae versatur — *Car. Godof. de Winckler programma de favore me-*

dicorum jure veteri ac hodierno, in Opusculis minoribus Volum. I. P. II. Nr. XI. pag. 402—413., eleganter quidem scriptum et erudite, quod vero quatenus jus vetus tractet, de aetate Anteconstantiniana nihil fere affert, sed a Constantino M. demum exordium capit. — Haud secus ac dissertationes modo enumeratae, alia quaedam opera et commentationes me adjuverunt, quibus quamvis de professoribus et medicis non sint nominatim conscriptae, attamen multa, quae ad rem nostram pertineant, exhibentur, veluti:

Friderici Rothii de re municipali Romanorum libri duo. Stutgartiae 1801.

Heerenii opus: Geschichte des Studiums der classischen Litteratur. Göttingen 1797. *Einleitung.*

Mansonis Commentatio: Ueber das rhetorische Gepräge der Römischen Litteratur. Vermischte Abhandlungen und Aufsätze von Manso. Breslau 1821. *Nr. II.*

Savinii opus: Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter. Bd. I. Cap. II. Römische Gerichtsverfassung im fünften Jahrhundert et Cap. VI. Rechtsunterricht im früheren Mittelalter.

Verumenimvero cum innumera sint scripta, quae argumento nostro aliquam utilitatem praebere possint, jam sufficiant ea, quae prolata sunt. Hoc tantum in votis est, ut dissertatiuncula ipsa assidui a nobis facti fontium usus fidem faciat.

§. II. De initiis et incrementis liberalium disciplinarum et artis medicae apud Romanos.

„Illa, quae natura, non litteris assecuti sunt nostri, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda. — — Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat.“ Ita Cicero Tusc. I. 1. et hisce verbis illud Horatii dictum Epp. II. 1. v. 156. sq. bene adjungi potest:

Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius; et grave virus
Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis.

His vero praefationis loco praemissis, (cf. etiam *Plin. Ep. VIII. 24.*), jam hoc primum annotandum est, professores liberalium disciplinarum non alios in fontibus juris nisi grammaticos, rhetores et philosophos proprie appellari. Jurisprudentia igitur inter disciplinas illas non habetur, sed non ut vilior et minus honesta, quum potius a Romanis in permagna omni aevo habita fuerit dignatione, sed quod apud Graecos, a quibus nomen liberalium disciplinarum eaeque ipsae ad Romanos pervenerant, legitima scientia studiis illis, quae *ἐλευθέρια* vocabant, non adnumerabatur. Nihilominus vero et legum doctores professoribus illis supra dictis posteriori aetate quasi adjuncti sunt; certe in titulo Theodosiani codicis, qui inscriptionem habet: *de*

studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolis, non solum de grammaticis, rhetoribus et philosophis, sed de jurisconsultis quoque agitur; unde quis dicere possit, civilem sapientiam ipsam in numero liberalium disciplinarum per leges apud Romanos receptam esse, et hoc idem magis etiam rescripto Imp. Diocletiani *l.* 1. *C. Just. qui aet. vel prof. X.* 49. confirmatur, quo scholaribus Arabiae haec scribuntur: „Quum vos adfirmetis liberalibus studiis operam dare, maxime circa juris professionem consistendo in civitate Berytiorum provinciae Phoeniciae: providendo utilitati publicae et spei vestrae decernimus, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum aetatis suae studiis non avocentur.“ Sed quod ad medicinam attinet, eandem olim potissimum a servis libertisque exercitam esse satis constat. Postea quidem inprimis sub imperatoribus nobilissima haec ars caput extollere coepit; attamen non dubitandum est, etiam sequentibus temporibus ad Justinianum usque et post Justinianum multos fuisse, qui inter servos suos medicos et medicas numerarent. Praeterquam enim quod veteres scriptores, qui tempore imperii floruerunt, saepenumero adhuc medicorum aut servorum aut manumissorum mentionem injiciunt, *Sueton. Calig. c.* 8. *et Ner. c.* 2., etiam constitutiones nominatim Imperatoris Justiniani non semel de servis medicis utriusque sexus loquuntur. *L.* 1. §. 5. *Cod. de commun. serv. manum. VII.* 7. *l.* 3. *pr. Cod. commun. de legatis. VI.* 43. Sed compilatores codicis tam Theodosiani quam Justinianei uno eodemque

titulo medicos et professores mox postponentes illos, mox anteponentes conjunxere et alterum ordinem cum altero simul nominare solent. Quodsi igitur non eos honores spectemus, quibus interdum singuli professores aut medici exornati sunt, veluti statuam Antonio Musae positam et jus aureorum annulorum eidem datum *Sueton. Aug.* c. 59. *Dio Cass. L. LIII.* c. 31. *ed. Reimar. Vol. I. p.* 725., sed potius favorem illum, qui universis ordinibus tributus est, eadem fere utriusque ordinis conditio fuisse videtur.

Jam vero nunc de singulis disciplinis et artibus et primo loco de grammatica disserendum erit. Ita quidem ea proprie nuncupatur disciplina, quae rationem recte loquendi docet, unde grammaticus is dicitur, qui circa curam sermonis versatur. *Quintilian. II.* 1. 1–6. *Senec. Epist.* 88. Sed grammaticam ultra fines suos provectam esse, Quintilianus loco laudato queritur, quum adsumtis poëtarum historicorumque viribus praeter rationem recte loquendi non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit, et Seneca ad ejus sententiam accedit dicendo: „grammaticus circa curam sermonis versatur et si latius evagari vult, circa historias, jam ut longissime fines suos proferat, circa carmina." Appellatio grammaticae et grammaticorum Graeca consuetudine invaluit; in Latinum transferentes illam litteraturam, hos vero litteratos sive etiam litteratores vocaverunt, et posterioribus quoque saeculis promiscuus vocum illarum usus fuit. Nam et scriptores Hi-

storiae Augustae quum enarrant, quinam praeceptores Imperatorem aliquem in liberalibus disciplinis instituerint, saepenumero loco grammaticorum litteratores ponunt. *Ael. Lamprid. Commod.* cap. 1. *Jul. Capitol. Maximin. Jun.* cap. 1. Sed grammatica, ut Suetonius ait *de illustr. grammaticis* cap. 1. *sq.*, olim Romae ne in usu quidem, nedum in honore ullo fuit, rudi scilicet ac bellicosa civitate necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Antiquissimi doctorum, qui iidem et poëtae et oratores semigraeci erant, nihil amplius quam Graece interpretabantur; ac si quid Latine ipsi composuissent, praelegere solebant. Studium vero grammaticae primus in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum in regione Palatii prolapsus in cloacae foramen, crus fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus plurimas *ἀκροάσεις* subinde fecit, assidueque disseruit ac Romanis exemplo fuit ad imitandum. Primum autem hactenus tantum imitati sunt, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent. Paullatim magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quo minus et ipsi aliquid de ea scriberent. Igitur numerus quoque scholarum nunc auctus est, ita ut jam Suetonius super viginti celebres scholas temporibus quibusdam

Romae fuisse tradat *l. l. c.* 3.; pretia vero grammaticorum mercedesque maximae factae sunt. Mox in provincias etiam occidentales grammatica penetravit, ac nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata, sensimque in omnibus fere civitatibus imperii Romani scholae grammaticorum ortae sunt, quibus juventus litteris imbueretur.

Arti rhetoricae, ut jam ad hanc transeamus, nomen virtus eloquendi dedit. *Quintil. l. l.* Et haec apud Romanos perinde atque grammatica sero recepta est, paullo etiam difficilius, quippe quae nonnunquam etiam prohibita fuerit. *Suet. de claris rhetoribus cap.* 1. *sq.* Exstat vetus senatusconsultum anni a. u. c. DXCII. de removendis ex Urbe rhetoribus; item censorium edictum anni DCLXII., quo improbati et coërciti sunt, qui ludos rhetoricos Romae aperuerant. Praeter *Suet. l. l. Gell. Noct. Att. XV.* 11. Quamquam vero hoc ipsum edictum non de Graecis sed proprie de Latinis rhetoribus, qui novum genus disciplinae instituere coeperant, factum erat, paullatim tamen et ipsa rhetorica utilis honestaque apparuit, multique eam praesidii causa et gloriae appetiverunt; nec dubitari potest, quin incrementa hujus artis, etsi per senatusconsultum et edictum censorium improbatae, Latinis potissimum dicendi praeceptoribus debeantur. *Manso l. l. p.* 68. Primus eorum Romae fuit Lucius Plotius Gallus, puero Cicerone, qui dolebat apud eum exerceri sibi non licere; continebatur enim doctissimorum

hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. *Suet. l. l. c.* 2. Sed Cicero quoque, quamquam ad praeturam usque Graece declamaverat, senior Latine declamavit et nobilissimi viri, veluti Cnejus Pompejus, Marcus Antonius, Augustus ipse declamandi consuetudini se dederunt. Magnum igitur hujus artis studium hominibus injectum est, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint. Mox rhetorica etiam in provincias occidentales transiit, et jam in singulis civitatibus sensim sensimque ludi rhetorici aperti sunt.

Sed Roma per longum tempus prima in occidentalibus Romani imperii partibus utriusque artis nutrix permansit nec raro ex aliis civitatibus Romam miserunt, ut praeceptores publici illis providerentur. Non alienum a re videtur, mentionem epistolae elegantissimae injicere, qua Plinius Secundus, municipes suos ante hortatus, ut scholam publicam in civitate Comensi instituerent, ne filios studiorum cauca Mediolanum mittere coacti essent, etiam tertiam sumtus partem pollicitus, Cornelium Tacitum rogat, ut ex copia studiosorum, quae ad eum ex admiratione ingenii in Urbe conveniat, praeceptores quos sollicitare possint circumspiciat. *Epp. IV.* 13. Et S. Augustinus quoque narrat, tempore suo missum esse a Mediolano Romam, ad Praefectum Urbis, ut illi civitati rhetorices magister provideretur, impertitaque evectione publica se ipsum am-

biisse, ut dictione proposita probatus a Praefecto tunc Symmacho mitteretur; et sic Mediolanum ad Ambrosium episcopum venisse. *Confess. V.* 13. *Heeren. l. l.* §. 20.

Restat solum ut adnotemus, inter utramque artem, grammaticam et rhetoricam non satis certos fuisse fines. Jam a veteribus grammaticis rhetorica etiam docebatur, ac multi de utraque arte commentarios scripserunt. Postea discretae quidem sunt professiones; nihilominus vero posteriores quoque grammatici vel retinuerunt vel instituerunt et ipsi quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur. *Suet. de illustr. grammat. c.* 4. Unde Quintilianus II. 1. 1-6. queritur, rhetores suas partes omisisse et grammaticos alienas occupavisse et hinc accidere, ut quae alterius artis prima sint opera, facta sint alterius novissima: et aetas altioribus jam disciplinis debita, in schola minore subsidat ac rhetoricam apud grammaticos exerceat.

P h i l o s o p h i a m perinde ac ceteras liberales disciplinas e Graecia Romam translatam esse, satis constat. Jam Pythagorae doctrinam, quum longe lateque flueret, permanavisse in Romanam civitatem, quum conjectura probabile, tum quibusdam etiam vestigiis indicari Ciceroni videtur. *Tuscul. IV.* 1. „Quis enim est, inquit, qui putet, quum floreret in Italia Graecia potentissimis et maximis urbibus ea, quae Magna dicta est, in hisque primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad

eorum doctissimas voces aures clausas fuisse? Quin etiam arbitror, propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum.“ Inde igitur sequeretur, ut sapientiae studium vetus quidem Romae fuisset; quod tamen Romanis non semper placuisse videtur. Quum enim senatus a. DXCII. removendos esse ex Urbe rhetores censeret, de philosophis etiam verba facta sunt, et de his quoque ita consultum est: ut Marcus Pomponius praetor animadverteret, curaretque, uti ei e republica fideque sua videretur, uti Romae n'e essent. *Suet. de clar. rhetor. cap. 1. Aul. Gell. Noct. Attic. XV.* 11. Itaque ante Laelii aetatem et Scipionis non reperiuntur, qui appellari possint nominatim. His vero adolescentibus Athenienses quum ad senatum populumque R. legatos de suis maximis rebus (propter Oropi vastationem?) mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos legaverunt, qui ad illud munus electi non essent, quae quidem est Ciceronis opinio, nisi in quibusdam principibus Romanis temporibus illis fuissent studia doctrinae. Erant isti philosophi Carneades ex Academia recentiori, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus. *Cic. Tuscul. IV.* 3. *Acad. II.* 45. *De Orat. II.* 37. *Ad Attic. XII.* 23. *Plin. H. N. VII. s.* 30. *ed. Harduin. Plut. M. Cato maj. c.* 22. *Gell. Noct. Att. VII.* 14. *XVII.* 21. *in fin. Aelian. Ποικίλ. Ἱστορ. III.* 17. *Macrob. Saturn. I.* 5. Illi igitur tres sapientiae proceres, uti a Plinio loco laudato appellantur, dum Romae essent, a multis frequenter auditi sunt, quamquam Cato Censo-

rius, audito Carneade, quamprimum legatos eos censuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset. Sed Romani, etsi cetera litteris darent, alii jus civile, alii orationes suas, alii monumenta majorum, philosophiam amplissimam omnium artem per longum tempus vita magis quam litteris persecuti sunt. Unde Cicero dicere potest, philosophiam jacuisse usque ad suam aetatem nec ullum habuisse lumen litterarum Latinarum. *Cic. Tusc. I.* 1. Quantum vero ipsius Ciceronis cura et studio Romani in philosophia profecerint, vix est quod pluribus explicetur, Ciceronis ajo, qui ipsius reipublicae causa philosophiam Romanis explicandam putabat, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras Latinis etiam litteris contineri; qui profitetur, non mediocrem a primo tempore aetatis in studio philosophiae operam curamque se consumsisse et quum minime visus sit, tum maxime philosophatum esse; qui denique philosophiam sibi pro reipublicae procuratione substitutam esse putabat, atque se non modo ad legendos libros de philosophia scriptos sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dederat, quoniam omnes ejus partes atque omnia membra tum facillime noscuntur, quum totae quaestiones scribendo explicantur. *Cic. de Nat. Deor. I.* 3. 4. *De Divinat. II.* 1. Quum igitur complures Graecorum philosophia imbuti ea, quae didicerant, cum civibus suis antea communicare non possent, quod illa, quae a Graecis

accepissent, Latine dici posse diffiderent, scriptis Ciceronis non modo ad discendum, sed etiam scribendum commoti sunt. Multi jam aetate provecti in Ciceronis libris acquieverunt atque vehementius in dies et legendi et scribendi studium incitatum est. Ciceroni vero magnificum illud potissimum Romanisque hominibus gloriosum videbatur, ut Graecis de philosophia litteris non egerent. *Nat. Deor. I.* 4. *Divinat. II.* 1. Mox igitur ne maximi quidem viri abstinuerunt, quo minus et ipsi aliquid de philosophia scriberent: veluti Augustus, qui praeter alios libros etiam *Hortationes ad philosophiam* composuit et Tiberio tradidit perlegendas *Suet. Aug.* 85. Roma vero paullatim etiam philosophiae studiis florere coepit. De Annaeo Seneca, cui Nero undecimo aetatis anno in disciplinam traditus est *Suet. Ner.* 7., non est quod plenius dicatur; sed non desunt etiam alia exempla. „Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, Plinius Atrio Clementi scribit *Ep. I.* 10., nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt. Suffecerit unum, Euphrates philosophus“, cui se expoliendum limandumque permittat, quum in Urbem proxime venisset Atrius, hortatur. Alio loco III. 11. de Artemidoro philosopho loquitur, qui in suburbano permansit, quum philosophi ab Urbe submoti essent. Sed illud ipsum senatusconsultum, quo philosophis Domitiano imperante Urbe et Italia interdictum est *Suet. Domit.* 10. *Gell. Noct. Att. XV.* 11., argumento esse videtur, haud contemnendum tunc eorum fuisse numerum. Quid? quod jam

sub Vespasiano philosophis etiam, ut certo cuidam ordini, perinde ac grammaticis, rhetoribns et medicis beneficia quaedam juris concessa fuerunt *l.* 18. §. 30. *Dig. de muner. et hon. L*, 4. Sensim sensimque igitur philosophiae studia in alias quoque Italiae urbes (*Mediolanum? Plin. Ep. IV.* 13.) et in provincias etiam occidentales transmigravisse videntur, ejusque rei hoc potissimum testimonium afferri potest, quod Julius Capitolinus narrat: Antoninum Pium philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulisse. *Ant. P. c.* 11. Raros tamen esse, qui philosophentur, ipse dicit Antoninus Pius; *„φιλοσόφων δὲ ὀυκ ἐτάχθη ἀριθμὸς, διὰ τὸ σπανίους ἐιναι τοὺς φιλοσοφοῦντας"* *l.* 6. §. 7. *Dig. de excusat. XXVII.* 1. Permulti enim homines improbi ac nequissimi („animalia spurca atque probra", ut Gellius ait) nomen usurpaverunt sanctissimum et philosophos se appellaverunt, sed falso cultu amictuque, id est barba et pallio nomen habitumque philosophiae ementiti sunt. *Noct. Att. IX.* 2. *XIII.* 23. *Quintil. XI.* 1. *ante med.* Cujacius quidem in *comment. ad l.* 6. *Dig. de excus.* contendit, vix singulis aetatibus singulos nasci philosophos, quod an post tot tantaque systemata de nostris quoque temporibus dici possit, equidem dijudicare non ausim.

De jurisprudentia fere non est, quod hoc loco afferam. Etenim in hac ferme sola disciplina Graecos docendi munere inter Romanos non functos, sed eandem ex genuina potius Romanorum indole profectam esse, satis constat. Plurimi et maximi viri juris civilis

scientiam vel, ut egregia Ulpiani appellatione utar *l. 1. §. 5. Dig. de extraord. cognit. L. 1.*, civilem sapientiam professi sunt, omnium vero primus Tiberius Coruncanius profiteri coepit, quum ceteri jurisconsulti ad hunc usque absconditum jus civile sibique proprium tenere cogitarent solumque consultatoribus potius quam discere volentibus se praestarent. *L. 2. §. 35. D. de orig. juris I. 2. Zimmern Geschichte des Röm. Privatr. bis Justinian Bd. I. Abth. 1.* §. 53. 68.

Restat medicina, qua de arte paullo plenius dicendum erit. Cato tradit, populum Romanum sexcentis fere annis medicina brassicae usum esse, quae apud Graecos antiquissimos et Etruscos etiam in magno usu ac honore fuisse dicitur a multisque veteribus scriptoribus non parce celebrata est. *Cato de re rustica c. 156. sq. ed. Schneider. Plin. Maj. Histor. Natur. XX. s. 11. Plin. Valerian. de re medic. IV. c. 29.* in op. *Medici ant. omnes etc. ed. Ald.* 1547. *fol.* 204. *a. Sprengel Geschichte der Arzneikunde. 2te Aufl. Th. 1. S.* 305. 473. Longum esse brassicae laudes exsequi Plinius major ait et totam rem diligentius persequitur, ut noscatur, qua medicina usus sit annis DC. Romanus populus. Antea igitur, ut Plinii Valeriani utar verbis, nondum in Urbem commeaverant medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno sanitas constet, et peregrina secum pigmenta attulerunt, ut illis imponerent pretia quae vellent. Verumenimvero secundum Plinium majorem Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est, primum e medicis ve-

nisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniae filium, L. Aemilio, Luc. Julio Coss. anno Urbis DXXXV., eique jus Quiritium datum et tabernam in compito Acilio emtam ob id publice. Is vulnerarius fuit e re dictus, mireque gratus adventus ejus initio: mox a saevitia secandi urendique transiit nomen in carnificem et in taedium ars omnesque medici. *Plin. Hist. Nat. XXIX. s.* 6. 7. Clarissime hoc intelligi potest ex verbis Catonis Censorii, quae scripta sunt Marco filio et a Plinio majore loco laudato servata: „Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit, illorum litteras inspicere, non perdiscere: vincam nequissimum et indocile genus illorum et hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes medicina. Et hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit et facile disperdant.“ Ad Catonis sententiam Plinius etiam accedit et de miseris medicorum concertationibus circa aegros queritur, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. Hinc ait illam infelicis monumenti inscriptionem venire: turba se medicorum periisse; (quod dictum Caesari Hadriano vulgo adscribitur, multo autem vetustius et senarius est, ut putant, Menandri Comici: *Πολλῶν ἰατρῶν ἐἴσοδος μ᾿ἀπώλεσεν*); mutari artem quotidie et ingeniorum Graeciae flatu impelli Romanos, palamque esse, ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitae ho-

minum necisque fieri; tum in hac artium sola evenire, ut cuicumque medicum se professo statim credatur, quum sit periculum in nullo mendacio majus; tamen homines illud non intueri, adeo blandam esse sperandi pro se cuique dulcedinem; nullam denique legem esse, quae puniat inscitiam, capitale nullum exemplum vindictae, discere medicos periculis hominum et experimenta per mortes agere, medicoque tantum hominem occidisse impunitatem summam esse. *Plin. Hist. N. XXIX. s. 5—8. Plut. M. Cato major. c. 23. Dio. Cass. in extrema Hadriani historia LXIX. c. 22.*

Sed jam satis sit harum querelarum, quarum auctores si iniquiores esse existimemus, quippe qui medicis imputent, quod potius medicinae, arti conjecturali, ut Celsus ait *I. Praef. post med.*, imputandum est, non errare nobis videmur, quin potius ad sententiam Matth. Gesneri accedamus, qui opiniones pravas adversaque judicia in Catone atque Plinio ita arguit: „Hätten die Griechen Catonem durch Urtheil und Recht anhalten können dies zu erweisen, oder sich wie einen Calumnianten auf das Maul zu schlagen, so dürfte es mit dem Respect des so ehrwürdigen Censoris windig genug ausgesehen haben. Was ein eigensinniger und hartnäckiger Cato in Ernst, und Plinius nach seiner gewöhnlichen Art zu declamiren gesagt, kann man nicht für die Meinung des ganzen Römischen Volkes ansehen." *Joh. Matth. Gesner. Chrestom. Plin. Nr. XCV. not.* 8. 12. Sed hoc etiam concesso, certum tamen est, pauciores tantum hujus artis adsectatores inter ipsos Ro-

manos fuisse. „Solam hanc, Plinius inquit, artium Graecarum nondum exercet Romana gravitas. In tanto fructu paucissimi Quiritium attigere et ipsi statim ad Graecos transfugae. Immo vero auctoritas aliter quam Graece eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguae non est. Ac minus credunt, quae ad salutem suam pertinent, si intelligunt.“ *Plin. H. N. XXIX. s.* 8. Ita igitur factum est, ut inter celeberrimos, qui Romae floruerunt medicos plurimi fuerint peregrini, veluti Graeci, Sicilienses, Massilienses, Aegyptii: quid? quod ob certos quosdam morbos ut puta luem illam, quae Graeco nomine *λειχήν*, Latine vero mentagra appellabatur, saepius ex Aegypto, genitrice talium vitiorum, medici Romam vocati sunt. *Plin. H. N. XXVI. s.* 1—3. *XXIX. s.* 30. In hac potissimum orbis Romani parte medicinae studium per longum tempus floruisse videtur, eoque etiam dictum illud Flavii Vopisci referre licet, esse Aegyptios viros ventosos, furibundos, jactantes, versificatores, epigrammatarios, mathematicos, aruspices, medicos. *Vit. Saturnini c.* 1. Immo vero Alexandrina medicorum schola quarto etiam saeculo tanta vigebat fama, ut pro omni experimento sufficeret medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se diceret eruditum. *Amm. Marcell. XXII.* 16.

Jam a Julio Caesare omnes medicinam Romae professi et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi Urbem incolerent et ceteri appeterent, civitate donati sunt et hoc initium favoris universis ordinibus habiti fuisse

videtur. *Suet. Jul. Caes. c.* 42. Falsissimum vero est, Julium Caesarem omnes medicos et professores civitate donasse, quum potius iis tantummodo concessa fuerit, qui tunc ex Graecia aliisve regionibus partim ingenui, partim manumissi Romam venerant, ut medicinam exercerent aut liberalia studia docerent. *Casaubon. ad locum Sueton. — de Winckler de favore medicorum l. l. p.* 402. *Plin. Epist. X.* 4. ubi Plinius medico suo Harpocrati civitatem Romanam a Trajano petit. Sed omnes fere dehinc Imperatores, regibus Alexandrinis in hoc simillimi, studia liberalia et ipsi exercuerunt eorumque doctoribus ac magistris faverunt. Nam ut argumenta quaedam adjiciantur, Augustus eloquentiam studiaque liberalia ab aetate prima et cupide et laboriosissime exercuit, in professores vero ac medicos ita propensus fuit, ut magna quondam sterilitate ac difficili remedio quum peregrinos Urbe expelleret, praeceptores et medici excepti fuerint; *Suet. Aug. c.* 84. 42. — Tiberius artes liberales utriusque generis studiosissime coluit et maxime quum Rhodi commoraretur, circa scholas et auditoria professorum assiduus fuit; *Suet. Tiber. c.* 70. 11. — Caligula ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus et promtus; *Suet. Calig. c.* 53. — Claudius ipse nonnullos libros satis eruditos Latine composuit, nec minore cura Graeca studia secutus est, amorem praestantiamque linguae occasione omni professus; *Suet. Claud. c.* 41. 42. — Nero liberales disciplinas omnes fere puer attigit, ad poëticam

vero pronus carmina libenter ac sine labore composuit; *Suet. Ner. c.* 52. — Vespasianus ingenia et artes vel maxime fovit egregiisque artificibus magna saepe praemia obtulit; *Suet. Vesp. c.* 18. Sed jam sufficiant haec exempla, quorum numerus facile augeri possit. *Suet. Domit. c.* 20. *Ael. Spartiani Hadrian. c.* 15. 16. *Jul. Capitolin. Antonin. P. c.* 11. *Marc. Ant. Philosoph. c.* 2. 3. *Verus c.* 2. *Ael. Spart. Sever. c.* 18. *Anton. Geta c.* 5. *Ael. Lamprid. Alex. Sever. c.* 3. 44. 68. *Flav. Vopisc. Numerianus c.* 1. Hoc solum addere libet, unum adeo fuisse Imperatorem, Pertinacem scilicet, qui antea ipse grammaticam professus erat et quum in ea minus quaestus profecisset, per Lollianum Avitum consularem virum, patris libertini patronum, ducendi ordinis dignitatem petierat. *Jul. Capitolin. Pertin. c.* 1. Denique non praetermittendum est, professores saepenumero etiam ab Imperatoribus quaestionibus abstrusis agitatos esse. Nam Tiberius, qui notitiam historiae fabularis usque ad ineptias atque derisum curavit, grammaticos ejusmodi fere quaestionibus saepe experiebatur: Quae mater Hecubae: Quod Achilli nomen inter virgines fuisset: Quid Sirenes cantare sint solitae? *Suet. Tiber c.* 70.; Hadrianus vero, quamvis esset oratione et versu promtissimus et in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctior risit, contemsit, obtrivit, et cum his ipsis professoribus et philosophis libris vel carminibus invicem editis certavit. *Ael. Spart. Hadrian. c.* 15. Quin immo Antonino Getae familiare fuit, has quaestiones

grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent *Ael. Spart. Anton. Geta c.* 5., et de aliis alia ejusmodi narrantur.

§. III. De variis nominibus ac generibus professorum et medicorum.

Plura in fontibus juris Romani aliisque veterum scriptis nomina iis tribuuntur, qui juventutem in liberalibus disciplinis instituunt. Praeterquam enim quod professores, doctores, magistri vel praeceptores simpliciter appellantur, haud raro tamen munus eorum accuratius, quin etiam splendidius describitur, et praeceptores studiorum liberalium, artium liberalium professores, magistri studiorum doctoresque, liberalium studiorum antistites vocantur. *L.* 1. *pr.* §. 1. 4. *Dig. de extraord. cognit.* (*L.* 13.) *l.* 1. 3. 5. 10. 16. 17. 18. *Cod. Th. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) *l.* 4. 6. 7. 11. *Cod. Just. de prof. et med.* (*X.* 52.) *l.* 1. *Cod. Just. de decret. decur. X.* 46. Sed in fontibus juris nulli proprie in numero horum artium liberalium professorum habentur, nisi grammatici, rhetores ac philosophi; etsi enim Ulpianus *l.* 1. *pr. D. de extraord. cogn.* geometras quoque praeceptoribus studiorum liberalium adnumerat, tamen hoc in regula nihil immutare videtur, quum geometrae in ceteris fontium locis non magistris liberalium studiorum sed artificibus aggregentur. *L.* 3. *Cod. Theod. de excus. artif. XIII.* 4. Quatenus vero et juris professores praeceptoribus illis adjungendi sint, jam supra breviter adnotatum est et in sequentibus melius etiam

patescet. Igitur de singulis nunc disserendum erit.

Ut a grammaticis initium capiamus, distinguuntur grammatici Graeci sive Atticae doctrinae et Latini sive Romanae doctrinae, et qui utrumque amplectitur, grammaticus eruditionis seu institutionis utriusque dicitur. *L.* 11. *Cod. Theod. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) *l.* 15. 18. *C. Th. de extraord. sive sord. etc.* (*XI.* 16.) *Jul. Capitolin. Verus c.* 2. Minus in fontibus juris quam in aliis veterum scriptis, etsi posterioris aetatis, grammatici et litteratores appellantur, ita ut eorum quoque eadem sit distinctio. *Ael. Lamprid. Commod. Anton. c.* 1. *Jul. Capitolin. Maximinus jun. c.* 1. Quarto saeculo grammatici Graeci in Galliis jam rariores facti esse videntur, quum Imp. Gratianus in lege celeberrima, qua de nobilium professorum electione in Galliarum urbibus, quae metropoles nuncupantur, agitur, grammatici Graeci mentionem quidem faciat sed verba addat: „si qui dignus reperiri potuerit"; *l.* 11. *C. Th. de med. et prof.*; tamen vero in pluribus Galliarum urbibus fuisse adhuc litteratores Graecos eosque non ignobiles, Ausonii Professores satis demonstrant, in quibus praeter rhetores et grammaticos Latinos, nonnulli etiam grammatici Graeci celebrantur. *Auson. Profess. VIII. XIII. XXI.*

Rhetorum quoque alii sunt Graeci, alii Latini. Qui utramque docet eloquentiam, rhetor eruditionis seu institutionis utriusque appellatur, et quum non alii sint rhetores nisi Graeci et Latini, rhetores eruditio-

nis utriusque de universo ordine magistrorum eloquentiae intelligendi sunt. *Sueton. Vespas. c.* 18. *Plin. Ep. III.* 3. *L.* 11. *Cod. Th. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) *l.* 15. 18. *C. Th. de extraord. sive sord. etc.* (*XI.* 16.) *l.* 12. *C. Just. de excus. mun.* (*X.* 47.). Sed rhetores in multis fontium locis oratores etiam ac sophistae dicuntur, atque haec postrema inprimis vox saepius perperam intellecta est. Nam Accursii sententia, *Glossa in l.* 6. §. 2. *Dig. de excusat. XXVII.* 1., sophistarum nomen in fontibus juris non de eloquentiae, sed de artis dialecticae praeceptoribus intelligendum esse, quum pluribus eorum locis repugnet, *l.* 3. §. 1. *Cod. Theod. de stud. liberal. urb. R. et C.* (*XIV.* 9.), improbanda esse videtur. Verum Cujacius quoque nomina rhetorum et sophistarum mire explicare conatur, dum rhetorem illum esse, qui artem rhetoricam teneat, sive dicendi praecepta doceat sive non doceat, sophistam vero pro doctore in sensu proprio accipiendum esse censet. *Comment. ad leg.* 6. §. 1. *Dig. de excus. XXVII.* 1. Quae quidem opinio si rem acu tangeret, sane fieri non potuisset, ut rhetoribus etiam perinde ac grammaticis et philosophis privilegia professorum indulta fuissent, quippe quum, ut infra demonstrabitur, non nisi iis, qui juventutem publice docebant, beneficia juris concessa fuerint. *L.* 6. §. 4. 5. *Dig. de excusat.* Sed rhetores quoque saepenumero inter eos appellantur, qui privilegiis professorum fruantur, *l.* 6. §. 1. 2. *eod.*; quid? quod nulla fere voce eloquentiae praeceptores frequentius significantur. Igitur rhetor is

proprie est, qui dicendi artem tradit, quod satis ni fallor Suetonii libello *de claris rhetoribus* demonstratur; hinc vero sequitur, ut ad Cujacii opinionem, quae nullis niti videtur argumentis, accedere non liceat. Equidem Ant. Augustino assentior, qui ex mea sententia totam rem acu tetigit, et pluribus exposuit, sophistas, rhetores et oratores apud Modestinum haud secus ac ceteros jurisconsultos et Imperatores eos significare, qui artem dicendi tradant; argumenta vero ab eo prolata hoc loco repetere et describere piget. *Lib. singul. ad Modestin. in Ev. Ott. Thesaur. jur. Rom. Tom. IV. pag.* 1572. Addo Jac. Gothofredum, qui verum haud secus vidit et in *commentariis ad l. unic. Cod. Theod. de prof. qui in urbe Const. etc.* (*VI.* 21.) *Tom. II. p.* 114. et ad *l.* 3. *Cod. Th. de stud. liber. urb. R. et C.* (*XIV.* 9.) *Tom. V. pag.* 229. dilucide hac de re disseruit. Non ignoro quidem, Tullianis temporibus et postea quoque oratores solos causarum patronos esse appellatos, rhetores dicendi magistros; quod discrimen Plinius *Ep. IV.* 11. brevissime significat, dum narrat, Valerium Licinianum, qui praetorius Romae antea inter eloquentissimos causarum actores habebatur, eo decidisse, ut exsul de senatore, rhetor de oratore factus sit. Deinde sophistas a Cicerone *Acad. IV.* 23. eos dictos esse, qui ostentationis aut quaestus gratia philosopharentur, satis constat. Sed hoc non ad rem nostram pertinet explicare, quomodo factum sit, ut nomina sophistarum et oratorum posteriori aetate de eloquentiae praeceptoribus intelligerentur, dum-

modo hoc ipsum certum sit atque indubitatum. Unum tamen restat, quod adnotetur. Etenim in lege celeberrima, quae de schola Constantinopolitana a Theodosio II. a. 425 emissa est, sophistae ab oratoribus distincte secernuntur, *l.* 3. *Cod. Theod. de stud. liber. urb. R. et Const. XIV.* 9.; quid? quod rhetores etiam juxta sophistas a Modestino in *l.* 6. §. 1. *D. de excusat. XXVII.* 1. ita commemorantur, ut alteri in alterorum locum substitui non possint. Jam quaeritur, quemadmodum nomina ista hic intelligenda sint? Et dubitari nequit, quin sophistarum nomen in hisce locis eos significet, qui artem Graece dicendi tradant, rhetores autem vel oratores, si a sophistis distinguantur, pro magistris Romanae eloquentiae proprie habendi sint. Rhetoris vero nomen, quamvis Graecam habeat originem, quandoque tamen professorem Romanae eloquentiae proprie significare, ex maturo assiduoque hujus appellationis inter Romanos usu, qui vernaculam fere tribuit ei auctoritatem, derivandum esse videtur. Argumenta sententiae nostrae de vocibus sophistarum et oratorum prolatae in ipsa lege Theodosii II. modo laudata continentur. Addimus exemplum Libanii, qui Antiochiae rhetor fuit Graecus ob eamque causam sophista dictus est. *Gibbon History of the decline and Fall etc. Basil* 1787. *Chap.* 24. *pag.* 119. Per se patet, in partibus orientalibus Romani imperii sive in finibus Graecae linguae sophistarum majorem fuisse numerum quam oratorum; oratores vero in partibus occidentalibus sive in re-

gionibus Romanae linguae frequentiores fuisse. Igitur non est quod miremur, sophistarum appellationem, si locum Modestini in *leg.* 6. §. 1. 2. *D. de excusat.* excipias, non in aliis fere juris fontibus nisi in constitutionibus Imperatorum orientalium deprehendi, *l. unic. Cod. Th. de prof. qui in urbe Const. etc. VI.* 21. *l.* 3. *C. Th. de stud. lib. u. R. et C. XIV.* 9.; veteres autem jurisconsultos et Imperatores occidentales de rhetoribus et oratoribus loqui solere. *L.* 6. §. 5. *Dig. de excusat.* (*XXVII.* 1.) *l.* 18. §. 30. *D. de muner. et honor.* (*L.* 4.) *l.* 2. 10. *Cod. Just. de prof. et med.* (*X.* 52.) *l.* 11. 16. *Cod. Theod. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) Adde *Jul. Capitol. Maximin. jun. cap.* 1. *Flav. Vopisc. Numerian. c.* 1. *Auson. Profess. Nr. I. Cassiodor. Var. IX.* 21. *et a. m.*

In philosophos discrimen illud Graecorum et Latinorum non collatum est, naturaliter quidem, quum philosophiae studia cum cognitione singularis cujusdam linguae non habeant tam arctam necessitudinem, certe non ab ea pendeant. Hoc vero non praetermittendum est, in constitutione illa Theodosii II., quae de schola Constantinopolitana data est, non solum juris professores, sed philosophos etiam sive qui philosophiae arcana rimentur, prae grammaticis ac rhetoribus profundioris scientiae atque doctrinae auctores nuncupari; nihilominus tamen philosophos inprimis ob excusationes ut videtur non semper injustas, quibus contra munera oneraque iis imposita uti volebant, a Principibus perinde atque jurisconsultis saepe correptos esse, infra videbimus.

De juris civilis professoribus hanc solam adjicimus notam, eosdem etiam professores legitimae scientiae, legum doctores sive professores, juris interpretes vel expositores, antecessores denique appellari. *L.* 1. §. 5. *D. de extraord. cognit.* (*L.* 13.) *l.* 6. *Cod. Just. de prof. et med. X.* 52. *Const. Deo auct.* §. 3. *Omnem reipub.* §. 2. 9. 10. *Tanta* §. 9. 11. 22. *Prooem. Inst. Theophil. eod.* §. 3. *Cassiod. Var. IX.* 21. De voce antecessor vide *Zimmern l. l.* §. 69. *Not.* 6.

Restant medici, quorum plura sunt genera. Distinguuntur enim qui medici simpliciter vocantur, archiatri, ex archiatris et archiatri palatini. Archiatrorum appellatio, quae ni fallimur in Digestis nondum deprehenditur, in codicibus vero tam Theodosiano quam Justinianeo aliisque etiam scriptis passim invenitur, (*l.* 2. 4. 8. 9. 13. 15. 18. *Cod. Theod. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) *l.* 6. 9. 10. *Cod. Just. de prof. et med. X.* 52. *Symmachi Ep. V.* 34. *X.* 40. *ed. Jac. Lectii* 1598.) primum quidem eorum propria fuisse videtur, qui in comitatu Principis medendi cura fungebantur, *l.* 2. *Cod. Just. quib. non obj. longi temp. pr. VII.* 35. *Cujac. in comment. ad. l.* 6. *C. Just. de prof. et med. X.* 52.; his vero postea nomine archiatrorum palatinorum honoratis, ad eos quoque transiit, qui medicinam Constantinopoli vel Romae, in his inquam duabus urbibus regiis exercebant; sed utrum ad omnes an ad quosdam solum, dubitari potest. *Lex* 8. *Cod. Th. de med. et prof. XIII.* 3. de archiatris urbis Romae ita loquitur: „Exceptis portus

Syxti (*Gothofr. vult: porticus Xysti Tom. V. p. 41.*) virginumque Vestalium, quot regiones urbis sunt, totidem constituantur archiatri. Qui scientes, annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus." Jam vero a Gothofredo in comment. ad hanc legem *Tom. V. p.* 40. *sq.* ea prolata est sententia, omnes medicos urbium regiarum appellatos esse archiatros, eorum vero nonnullos, et Romae quidem quatuordecim, exceptis portus Syxti virginumque Vestalium, fuisse archiatros populares. Qui vero fuerint ii, qui in fontibus ex archiatris dicuntur, *l.* 2. *Cod. Th. eod. l.* 6. *C. Just. de prof. et med. X.* 52., omnino silentio praetermisit. Cujacius quidem in *comment. ad l.* 6. *eod.* ex archiatris eos esse dicit, qui dimissi sint e palatio sive comitatu, quasi qui archiatri simpliciter appellantur, semper in palatio artem suam exercuissent. Mihi quidem neque Cujacii neque Gothofredi placet sententia. Non puto, omnes medicos urbium regiarum archiatros appellatos esse, sed hoc potius probabile mihi videtur, non nisi certum illorum medicorum numerum, et Romae quidem ex constitutione Valentiniani I. sedecim medicos hac appellatione decoratos fuisse. Cui sententiae illud ni fallor argumento est, quod archiatrorum certum erat collegium cum ordine definito successionis, si qui in archiatri defuncti locum aggregandus erat, et huc accedit, quod archiatria ipsa dignitas nuncupatur. *L.* 8. 9. *C. Th. de med. et prof. Symmachi Ep. X.* 40. Quod vero jam ad eos attinet,

qui ex archiatris in fontibus vocantur, conjecturis haud dubie locus est, praesertim quum omnes fere juris interpretes hac de re taceant. Primum quidem hoc dubium esse nequit, archiatros atque eos, qui ex archiatris dicuntur, non esse easdem personas; alteri enim ab alteris in constitutionibus supra laudatis distincte secernuntur. Quae vero a Cujacio profertur sententia, appellationem ex archiatris eorum propriam esse, qui archiatri jam antea fuerint, nunc vero esse desierint, antiquo atque genuino usui voculae ex tantopere repugnat, ut ne Imperatores quidem saeculi quarti et quinti ista loquendi ratione uti potuisse videantur; quippe quum unice verborum habita ratione ii, qui ex archiatris sunt, non pro iis, qui archiatri fuerunt, sed pro ipsis potius archiatris habendi sint. Attamen quum discrimen inter eos esse concedi debeat neque tamen liceat ad Cujacii opinionem accedere, nos quidem aliam interpretationis rationem secuti sumus. Multae imperatoriae constitutiones, maxime Theodosiani codicis, de personis loquuntur, quae ex comitibus, ex praesidibus, ex rationalibus, ex perfectissimis, ex vicariis etc. nuncupantur et a veris comitibus, praesidibus, rationalibus etc. accurate distinguuntur. *L.* 26. 36. *C. Theod. de decurion. XII.* 1. *l. unica C. Th. de prof. qui in urb. Const. doc. ex leg. mer. com. VI.* 21. Jam quaeritur, quomodo nomina illa intelligenda sint, qualeque sit discrimen verbi gratia inter comites atque eos, qui ex comitibus sunt; et haec quaestio nullis involuta esse vi-

detur difficultatibus. Comites enim sunt, quibus **ordinaria** comitiva dignitas tributa est; ex comitibus vero sunt, qui **honorariam** tantum comitivam dignitatem acceperunt, et hoc idem discrimen inter praesides etiam est atque eos, qui ex praesidibus sunt, nihiloque secius in ceteras omnes dignitates, quarum mentionem fecimus, conferri potest. Quoniam autem dignitates istae honorariae a multis, qui munera curialia fugere volebant, redemtae sunt, in legibus dignitates adumbratae sive emtae, sive honores imaginarii dicuntur, atque ii, „qui fugientes obsequia curiarum affectabant adumbratae nomina dignitatis", ob excusationes praeposteras ab Imperatoribus saepenumero corripiuntur. *L.* 24. 25. 26. 27. 34. 36. 41. 42. 44. 75. 109. 138. 150. *C. Th. de decurionibus XII.* 1. *l.* 47. *C. Just. eod. X.* 31. Sed hisce missis, quae ad rem nostram minus spectare videntur, vix dubitare licet de eo, quod inter archiatrôs eosque qui ex archiatris sunt, interest. Hac enim appellatione ex nostra quidem sententia ii significantur, qui non ordinariam, sed honorariam solum archiatriae dignitatem adepti sunt. De favore autem insigni, qui hisce quoque personis, etsi honorariis solum dignitatibus decoratis, ab Imperatoribus tributus est, non est quod miremur, quum procul dubio nemo nisi qui medicus esset, ex archiatris esse posset, medici autem in universum benevolentiam Principum sibi quaesierint. Ceterum de medicis, qui ex archiatris palatinis dicantur, omnino nihil in fontibus deprehenditur. **Archiatri palatini** sive

sacri palatii ii sunt, qui Principi ejusque familiae operam dant, unde etiam archiatri, qui intra penetralia regalis aulae florent, vel qui in sacro palatio militant, dicuntur. *L. unic. C. Th. de com. et arch. sac. pal.* (*VI.* 16.) *l.* 12. 14. 16. 18. 19. *C. Th. de med. et prof.* (*XIII.* 3.) *l.* 11. *C. Just. eod. X.* 52. *Symmachi Ep. X.* 40. De legitimo quodam eorum numero nihil constat; Aelius Lampridius vero auctor est, sub Alexandro Severo usque ad septem medicos palatinos fuisse. *Al. Sever. c.* 42.

Sicuti ipsa medicina nomine salutaris professionis a Celso I. *Praef.* celebratur, ita medici quoque et nominatim archiatri sacri palatii in *l.* 14. *C. Th. de med. et prof.* salutaris ac necessariae artis professores, et a Symmacho *X.* 40. medendi professores appellantur. Fuisse quidem inter Romanos haud secus ac Graecos medicorum scholas, satis constat. Plinius major non semel de medicorum scholis et sectis loquitur; idem medicum Themisonem Asclepiadis, quo medico amicoque Cicero usus est, auditorem nuncupat, *Hist. N. XXIX. s.* 1—5. *XXVI. s.* 7—9. *Cic. de Orat. I.* 14.; et celebritas famae, quam Alexandrina medicorum schola quarto etiam saeculo tenebat, jam supra commemorata est. *Amm. Marcell. XXII.* 16. Num vero archiatris illis nomen professorum in dictis locis eam ob causam datum sit, quod artem non solum exercuerint, sed etiam docuerint, est quod dubitetur. Professor enim quilibet appellari potest, qui artem aliquam se callere pronuntiat, et quod inde sequitur, qui eam re vera cal-

let et exercet, unde verbi gratia pictores etiam picturae professorum nomen habent. *L. 4. Cod. Theod. de excus. artif. XIII. 4.* Certe hoc ex fontibus juris demonstrari nequit, medicis beneficia juris sub ea tantum conditione concessa fuisse, ut artem non solum exercerent sed etiam docerent. *Ἰατροί*, ait Modestinus, *οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι, ὥσπερ τῶν λοιπῶν λειτουργιῶν, οὕτωσὶ δὲ καὶ ἀπὸ ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ἀνάπαυσιν ἔχουσιν. L. 6. §. 1. Dig. de excusat. XXVII. 1.* Igitur de necessitate docendi iis imposita nihil dicit, sed unice de necessitate artem exercendi i. e. aegrotos curandi loquitur. *Περιοδευταὶ* enim medici dicuntur, qui circumeunt urbem sanitatis hominibus reddendae causa, quibus immunitas datur, non etiam iis, qui domestico et umbratili studio dediti sunt. Sed hac de re infra demum plenius agendum erit.

Jam in universum commemoratum est, dictis ordinibus varia privilegia, tametsi non nisi sub quibusdam conditionibus in jure Romano concessa fuisse. Sed non solum magistris litterarum et medicis, sed aliis etiam personis vel ordinibus talia competebant beneficia juris, ita quidem ut doctoribus et medicis alia cum aliis communia essent, nominatim cum iis ordinibus, quorum artes necessitudinem quandam cum artibus professorum et medicorum habebant. *Cf. titt. Cod. Theod. de excusat. artif. XIII. 4. de veteranis VII. 20. Cod. Just. de veter. XII. 47. et al.* Non defuisse autem videntur, qui sibi uno alterove privilegio, quo professores et medici frueban-

tur, tributo, cetera quoque et maxime immunitatem illis indultam nullo jure deposcere et praeposteris uti vellent excusationibus. Unde opus visum est, ut quaedam personae, quippe quibus in professorum et medicorum numero locus non deberetur, nominatim exciperentur. Huc igitur pertinent ii, qui pueros primas litteras docent sive ludi litterarii magistri, quos professores non esse Ulpianus proprie dicit. *L.* 1. §. 6. *Dig. de extraord. cognit. L.* 13. Itaque etiam immunitatem a civilibus muneribus non habent: sed ne cui eorum id quod supra vires sit, indicatur, ad Praesidis religionem pertinet, sive in civitatibus, sive in vicis primas litteras doceant. *L.* 2. §. 8. *Dig. de vacat. et excus. L.* 5. Jam et calculatores excipiuntur, *l.* 4. *Cod. Just. de prof. et med. X.* 52., iisque librarii, notarii, tabularii, omnesque quorum artes, ut cum Ulpiano *l.* 1. §. 6. 7. *D. de extraord. cogn.* loquar, non intra litteras sed intra notas positae sunt, aequiparandi esse videntur, quamquam his omnibus nec secius etiam ludi litterarii magistris de mercedibus extra ordinem jus dicitur. Sed ne poëtis quidem locus est inter professores eorumque praerogativis ex constitutione Imperatoris Philippi carent. *L.* 3. *Cod. Just. de prof. et med.* „Cur ita Philippe?“ Ev. Otto libro *de aedilibus coloniarum et munic. VI.* 5. *p.* 188. quaerit. „An quia pauci semper poëtae boni? An quod poëta nascitur nec doceri solet? Sed ratio summa esse videtur, quod Romani nullam artem praemiis dignam esse censuerunt, nisi quae reipublicae aliquid commodaret.“ Ce-

terum duae, quantum equidem sciam, dissertatiunculae ad hanc legem scriptae sunt; una Alb. Gentilis, altera Fr. Eisenharti jam supra laudata, quas tamen nominasse sufficiat, quum Ev. Otto veram illius constitutionis rationem bene viderit et tam breviter quam distincte explicaverit.

Sed quod ad medicos attinet, quaeri potest, quid de obstetrice dicendum sit, quae utique medicinam exhibere videtur? Et medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta si quis auricularius sit, si fistulae vel dentibus curationem adhibeat. Sed hoc tantum probari potest, his omnibus personis de mercedibus extra ordinem jus dici, *l.* 1. §. 2. 3. *D. de extraord. cognit.*, quum de aliis privilegiis iis concessis certi aliquid in fontibus omnino non contineatur: tamen ne illo quidem jure fruitur, qui incantavit, qui imprecatus est, qui (ut verbo impostorum apud Romanos vulgari utar) exorcizavit; nam ista non sunt medicinae genera, tametsi omnibus temporibus fuerint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione adfirmaverint.

§. IV. Exempla quaedam asperitatis et illiberalitatis in professores.

Haud alienum ab hoc loco videtur, priusquam ad beneficia juris professoribus et medicis concessa progressus fiat, documenta quaedam affere, Imperatores perinde ac singulas civitates aliasque etiam personas inclementer

quandoque si minus cum medicis, tanto magis cum professoribus egisse. Medici enim, qui salutis vitaeque hominum curam agunt, rigori atque insolentiae Imperatorum aut magistratuum minus fere expositi fuerunt, quoniam eorum opera necessaria esse videbatur. Verumenimvero quod ad professores attinet, non de singulis professoribus, sed de universis ordinibus male nonnunquam habitis locuturi sumus. Praeterea vero hoc etiam adnotandum est, nobis non curae fore hic ea, quae ad impediendam professorum liberaliumque disciplinarum receptionem aspere facta sint, cujus rei jam supra brevem injecimus mentionem, sed non nisi in exemplis quibusdam illiberalitatis in professores jam dudum receptos sermonem nostrum versaturum esse.

Huc igitur pertinet, quod Suetonius (*Domit.* 10.) narrat, Domitianum Junio Rustico interemto, quod Paeti Thraseae a Nerone occisi (*Suet. Ner.* 37.) et Helvidii Prisci a Vespasiano etsi invito interfecti (*Suet. Vespas.* 15.) laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros, ejus criminis occasione, ut Suetonius ironice ait, philosophos omnes Urbe Italiaque submovisse. Fuere quidem, qui Romam, vel suburbia non relinquerent, veluti Artemidorus, apud quem Plinius junior fuit, et quo notabilius hoc esset, dum praetor fuit. *Ep. III.* 11. Attamen commorari periculosissimum erat Imperatore ad saevitiam celeriter desciscente (*Suet. Domit.* 10.) et patri Vespasiano, qui philosophorum contumaciam lenissime tulerat (*Suet. Vesp.* 13.), longe absimili.

Inter philosophos vero, quibus tunc Roma Italiaque interdictum est, Epictetus quoque fuit, qui Nicopolin Roma decessit, *Gell. XV.* 11., reversus autem ab Hadriano in summa familiaritate habitus est. *Ael. Spart. Hadrian.* 16. Sed posterior quoque aetas inclementer quandoque professores litterarum habuit. Quum enim Imp. Constantinus in *lege* 1. §. 2. *Cod. Theod. de med. et prof. XIII.* 3. *l.* 6. *Cod. Just. de prof. et med. X.* 52. mercedes disciplinae professoribus reddi jubeat, inde colligere licet, has mercedes cunctanter nonnunquam aut omnino non iis solutas esse. Et huc etiam querelae S. Augustini spectant, qui tam sedulo egerat, ut Romae artem rhetoricam doceret. „Non ideo, ait *Confess. V.* 8., Romam pergere volui, quod majores quaestus majorque mihi dignitas ab amicis qui hoc suadebant promittebatur, — — sed illa erat tunc causa maxima et pene sola, quod audiebam, quietius ibi studere adolescentes et ordinatiore disciplinae coërcitione sedari, ne in ejus scholam, quo magistro non utuntur, passim et proterve irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. (Cf. *l.* 1. *Cod. Theod. de stud. liber. urb. R. et Const. XIV.* 9. *cum commentario egregio Herm. Conringii.*) Contra apud Carthaginem foeda est et intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter et pene furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad perficiendum instituit.“ Sed alio loco ejusdem libri (*cap.* 12.) ita queritur: „Ecce cognosco alia Romae fieri, quae non patiebar in Africa. Nam rerum illas

eversiones a perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestum est mihi. Sed subito inquiunt: ne magistro mercedem reddant; conspirant multi adolescentes et transferunt se ad alium." Jam praeter mercedes doctrinae salaria etiam professoribus a civitatibus praestanda, temporibus Constantini aliquamdiu iis denegata esse videntur, nam et haec reddi iis Constantinus in *l.* 1. §. 2. *Cod. Theod. de med. et prof. XIII.* 3. jussit. Denegabantur autem a civitatibus haud dubie per injuriam, forte vel quia his solvendis sufficere se non posse censerent, vel quia solvere Christianae jam civitates nollent paganis doctoribus. *Jac. Gothofr. in comment. ad l. l. Tom. V. p.* 30. Contra Julianus, quem Apostatam dicimus, docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos Christianos, ne qui transirent a numinum cultu; quam inclementem legem obruendam esse perenni silentio, Amm. Marcellinus censet. *XXII.* 10. *XXV.* 6. Exstat autem fortasse hujus interdicti fragmentum in *lege* 5. *Cod. Theod. de med. et prof.*; certe si non partem illius haec constitutio faciat, ad ejus tamen interdictionis finem respicere videtur. Sed et medicos Christianos Julianus teste Chrysostomo (*Homil. in Juventium et Maximinum martyres, num.* 1. *p.* 579. 580. *Tom. II. Op. Ed. Benedictin.*) a docendi munere submovit. *Jac. Gothofr. comment. ad l. l. Tom. V. p.* 36. *sq.* Aetate Symmachi, qui ipse ait *I.* 79., hoc specimen esse florentis reipublicae, ut disciplinarum professoribus praemia opulenta pendantur, Romanae juventutis magistris, non liquet qua ratione, subsidia solemnis

alimoniae, i. e. salaria et annonae detracta sunt. *V.* 33. Idem tamen alio loco (*I.* 79.) auctor est, Priscianum fratrem suum, cum primis philosophorum eruditione et honestate censendum, Senatu Romano auctore, salarii emolumenta consecutum esse, sic tamen, ut id a Praefecto Praetorio Italiae confirmandum esset. Sed Romae quidem maxime admissis immodicis voluptatibus, neque fini neque modo luxuriosae superbiae imposito, litterarum studia honestaeque artes paullatim ex Urbe exsulasse videntur. „Pro philosopho, Ammianus Marcellinus *XIV.* 5. ait, cantor et in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur: et bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica et lyrae ad speciem carpentorum ingentes, tibiaeque et histrionici gestus instrumenta non levia. Postremo ad id indignitatis est ventum, ut quum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab Urbe praecipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerentur mimarum asseclae veri quive id simularunt ad tempus: et tria millia saltatricum ne interpellata quidem cum choris totidemque remanerent magistris."

Jam vero pauca haec sufficiant exempla, quibus plura facile addi possint, maxime si cui placeat, non solum de universis ordinibus sed de singulis quoque professoribus, inprimis philosophis, male et inclementer quandoque ha-

bitis quaerere. Sed ad rem graviorem et vere legitimi argumenti nunc transgredimur.

§. V. De privilegiis professorum et medicorum in universum.

Aptissimum esse videtur, ut privilegia, quibus professores et medici in jure Romano fruuntur, primum quidem ad unum omnia enumerentur, deinde vero de singulis nominatim disseratur. Quantum mihi igitur cernere datur, haec beneficia juris illis personis concessa sunt:

1. Professores et medici immunes sunt, sive quod idem est, munerum civilium vacationem habent. Sed inde a temporibus Antonini Pii ex lege hujus Imperatoris in unaquaque civitate certus tantum fuit numerus professorum et medicorum, qui immunitatem haberent, et de his ipsis, qui intra numerum erant, aliae praeterea quaedam αἱρέσεις lege propositae sunt. *L.* 6. §. 2—4. *Dig. de excus.* (*XXVII.* 1.) §. 15. *Inst. de excus. tut.* (*I.* 25.) Libertas illa a muneribus publicis aliis etiam ordinibus, veluti veteranis, *tit. C. Th. de veter. VII.* 20. *Jd. tit. C. Just.* XII. 47., artificibus, verbi gratia mechanicis, geometris, architectis, pictoribus, sculptoribus etc. (*Tit. C. Th. de excus. artif. XIII.* 4. *Jd. tit. C. Just. X.* 64.) ab Imperatoribus concessa est, quo magis et ipsi peritiores fieri aliosque docendos erudire cuperent. Quum vero sexcentae in jure Romano sint immunitates et vacatio munerum civilium ordini alicui tributa non semper una

eademque fuerit, inde jam sequitur, ut immunitas illa, qua professores ac medici gaudent, diligentius aliquanto infra definienda et describenda sit.

2. Ii, qui in auditorio publico urbis Constantinopolitanae professorum funguntur officio, quum ad viginti annos observatione jugi ac sedulo docendi labore pervenerint, codicillis comitivae ordinis primi ex lege honorantur. *L. unic. C. Theod. de prof. qui in urbe Constant. doc. ex lege meruer. comit. VI.* 21. *l. unic. C. Just. eod. XII.* 15. De archiatris lex quidem deficit, quae ejusdem sit argumenti; nihilominus vero comitivae dignitatem et primi et secundi ordinis tam crebro archiatris palatinis datam esse, ut ea res tandem in consuetudinem abiret, satis constat; quid? quod multi archiatri sacri palatii ad majoris adhuc dignitatis gradum evecti sunt. *L.* 16. 17. 18. 19. *Cod. Theod. de med. et prof. XIII.* 3. *cum commentariis Jac. Gothofredi Tom. V. p.* 52—55. Illud solum huc pertinere videtur, quod Imperator Theodosius junior de archiatris palatinis in *l. unica C. Th. de comitibus et archiatris sacri palatii* V. 16. constituit: „Archiatros intra palatium militantes si comitivae primi ordinis nobilitaverit gradus, inter vicarios taxari praecipimus, sive jam pridem deposuerunt militiam, sive postea deposuerint, ita ut inter vicarios et duces, qui administraverint, et hos, qui comitivam primi ordinis meruerint, nihil intersit, nisi tempus, quo quis administraverit, vel comitivae est indeptus insignia.“ *Comment. J. Gothofr. ad hanc l. Tom. II. p.* 106. 107. Cete-

rum non alienum videtur ab hoc loco adnotare, hanc comitum veterem dignitatem fere cum hodierno consiliariorum aulicorum honore conferri posse, et in eo praeterea aliquam temporum similitudinem esse, quod nunc quoque plerique principum archiatri illo honore ornari solent. *de Winckler l. l. p.* 405. Denique hanc adjicimus notam, non deesse exempla singulorum professorum vel archiatrorum palatinorum, qui comitiva dignitate decorati fuerint. Helladius verbi gratia, qui sub Theodosio juniore grammaticus Graecus in urbe Constantinopolitana fuit et de cujus scriptis Suidas in voce *Ἑλλάδιος* loquitur, comes ordinis primi fuit. *L. unic. C. Th. de prof. qui in urb. Const. doc. ex leg. mer. comit. VI.* 21. *cum comment. Jac. Gothofr. Tom. II. p.* 113—115. Item Vindicianus medicus, cujus epistola ad Imperatorem Valentinianum exstat, praemissa libro Marcelli de medicamentis *in op. Medici antiqui omnes etc. ed. Ald. Venet.* 1547. *fol.* 86. b. *sq.* comitiva honoratus fuit ob eamque causam comes archiatrorum appellatur. *Comment. Jac. Gothofr. ad l.* 12. *C. Theod. de med. et prof. XIII.* 3. *Tom. V. p.* 50. Cf. etiam *Cassiod. Var. VI.* 19.

3. Professoribus et medicis salaria et annonae publicae a civitatibus praestantur. Legatis viaticum publice datur; curatores frumenti pecuniam publicam accipiunt, qua frumentum aliaque emant, municipibus aequo pretio vendenda, ab iisque repetitam pecuniam exacto anno restituunt reipublicae et rationes reddunt; decurionibus etiam, qui ob munificentiam praecipue ad inopiam sunt redacti,

alimenta decernuntur, sed nemini nisi professoribus et medicis ex rebus civitatum salaria praestita esse videntur. *Fr. Roth. de re municip. Rom. lib. II.* c. 40. Salarium est certa pecuniae quantitas, quae ex publico dabatur, annona vero est ἡμερήσιον, annona diurna, diarium unius hominis, et inter alia certus frumenti oleique modus hac appellatione significatur. *Amm. Marcell. XXII.* 3. *Jac. Gothofr. ad l.* 11. *C. Th. de med. et prof. Tom. V. p* 49. Salarium pro honestiori praemio quam annonam habitum esse, ex loco Aelii Lampridii forte colligere licet: „Medicus, ait, sub eo (Alexandro Severo) unus Palatinus salarium accepit; ceteri omnes qui usque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant," *Al. Sever. c.* 42.; sed annonarum praestatio posteriori aetate frequentior fere quam salariorum solutio fuisse videtur; certe leges de annonis crebrius quam de salariis loquuntur, nisi forte annonae etiam appellatio in nonnullis locis de certa pecuniae summa intelligenda sit. *L.* 8. 9. 11. *C. Th. de med. et prof. XIII.* 3. *cum comment. J. Gothofr. Tom. V. p.* 40 - 49. *l.* 9. *C. Just. de prof. et med. X.* 52. *Symmachi Ep. I.* 79. *Athalarici oratio ad Senatum Romanum in Cassiod. Var. IX.* 21., ubi id, quod professoribus ex publico praestandum est, primum quidem annonarum nomine significatur, deinde vero „statuta summa" dicitur. *Justiniani Sanctio pragmatica* (*a.* 554.) *c.* 22. *Manso l. l. p.* 79. *sq.* Vespasianus teste Suetonio *c.* 18. primus e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituit,

quod tamen non nisi ad eos, qui Romae docebant, referendum esse, probabile mihi videtur. E Plinio videmus, praeceptores eo jam tempore multis in locis publice conductos esse. (*Ep. IV.* 13. „*ut accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publice conducuntur.*“) Illud vero de salariis intelligendum esse videtur, quae professoribus jam tunc a decurionibus (nam id est: publice) decernebantur, ita quidem ut praeter eam pecuniam, quae publice promittebatur et dabatur, mercedes etiam disciplinae a discipulis solverentur. Sed hanc rationem conducendi praeceptores non fuisse unicam, certe non legibus praescriptam, ipse Plinius auctor est. Quum enim Comenses filios suos studiorum causa antea Mediolanum mittere coacti fuissent, quia Comi praeceptores non erant, Plinius eos hortatur, ut praeceptores in civitatem suam inducant; attamen non vult, ut publice magistri conducantur sed collata pecunia parentum, quibus eam ob causam jus conducendi relinquendum sit; parentes vero ipsos ita alloquitur: „Quantulum est ergo, collata pecunia conducere praeceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quae peregre emuntur, — — impenditis, adjicere mercedibus?“ Unde simul videmus, pecuniam illam, quae ad conducendos praeceptores conferri debebat, cum mercedibus doctrinae non confundendam esse. Ab Antonino Pio per omnes provincias salaria professoribus constituta sunt, *Jul. Capitol. Ant. Pius c.* 11., quod ex mea quidem sententia vel partem fecit ejus consti-

tutionis, quae de numero certo professorum ac medicorum, quibus in unaquaque civitate immunitas tribui posset, ab hoc Principe facta est, vel tamen ad eundem finem spectavit, eum scilicet, ut in singulis civitatibus Romani imperii primum quidem scholae publicae, quibus Juventus ad litterarum studia adduceretur, bene essent compositae, deinde vero ne deessent medici, qui salutis hominum curam agerent assiduam. Nam medicis quoque salaria data sunt et non errare videmur, si Antoninum Pium iis professoribus ac medicis, qui vacationem munerum civilium haberent, salaria etiam constituere voluisse censemus, ita tamen, ut in unaquaque civitate ordo decurionum et immunitatem et salaria illis personis decerneret. Huc igitur spectat, quod Ulpianus in *l.* 4. *D. de decretis ab ord. fac. L.* 9. dicit: „Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem dimiserunt, sive largiti sunt. §. 1. Proinde ut solent sive decreverint de publico alicujus vel praedia, vel aedes, vel certam quantitatem praestari, nihil valebit hujusmodi decretum. §. 2. Sed etsi salarium alicui decuriones decreverint, decretum id nonnunquam ullius erit momenti: ut puta si ob liberalem artem fuerit constitutum, vel ob medicinam: ob has enim causas licet constitui salaria.“ Cf. etiam *l.* 1. *C. Just. de decr. decur. X.* 46. Jam igitur extra dubium positum est, salaria professorum et medicorum in Justinianeo quoque jure confirmata esse. *L.* 6. *C. Just. de prof. et med. X.* 52. Fr. Rothius vero *l. l. p.* 136. *not.* 349. errat, quum philoso-

phis in *lege* 1. §. 4. *Dig. de extraord. cognit. L.* 13. salaria negari putat, in ista enim lege non de salariis sed de mercedibus agitur eaque de re infra plenius dicendum erit. Philosophos autem perinde ac ceteros professores salaria accepisse, Symmachus auctor est, qui Priscianum philosophum Senatu auctore salarii emolumenta consecutum esse narrat. *Ep. I.* 79.

4. Professores jam ab antiquissimis temporibus de mercedibus disciplinae cum discipulis suis pacisci solebant. *Suet. de ill. grammat. c.* 3. 7. 13. Fuere quidem, qui majori fama quam emolumento docerent, veluti Orbilius Pupillus Beneventanus grammaticus, qui consule Cicerone Romam veniebat et jam persenex pauperem se et habitare sub tegulis scripto quodam fatebatur. *Suet. l. l. c.* 9. cf. etiam *c.* 20. Multi vero schola honeste se sustentaverunt, verbi gratia Verrius Flaccus, qui sestertia centena in annum accepit, *Suet. l. l. c.* 17. 15.; nec defuere etiam, quibus eruditio sua maximos fructus ferret. Remmius enim Palaemon Vicentinus, qui principem suo tempore locum inter grammaticos Romae tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis palamque et Tiberio et mox Claudio praedicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam, tamen ex schola quadragena annua cepit, quia hominibus quum memoria rerum tum facultate sermonis se commendabat. *Suet. l. l. c.* 23. Cf. etiam *l.* 2. §. 47. *D. de orig. jur.* „*Sabino nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum a suis*

auditoribus sustentatus est.“ Symm. Ep. I. 79. *Auson. Profess. XVI. v.* 9. *XVII. v.* 10. *XVIII. v.* 7. 8. Sed nulla quidem ars fructuosior fuit quam medicina, unde Plinius ut rem notandam commemorat, in tanto fructu paucissimos Quiritium eam attigisse. *Hist. Nat. XXIX. s.* 1. 5. Idem auctor est, medicis celeberrimis, ut Cassiis, Calpetanis, Aruntiis et aliis ducena quinquagena H—S. annuas mercedes apud Principes fuisse. „Q. vero Stertinius imputavit Principibus, quod H—S. quingenis annuis contentus esset: sexcena enim sibi quaestu Urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par et fratri ejus merces a Claudio Caesare infusa est: censusque quamquam exhausti, operibus Neapoli exornata, heredi H—S. CCC. reliquere;“ Crinas vero Massiliensis centies H—S. reliquit, muris patriae, moenibus quoque aliis paene non minori summa exstructis. *Plin. H.* N. *l. l. s.* 5. Sed jam sufficiant haec exempla, quibus proverbium illud: G a l e n u s d a t o p e s, optime confirmatur. Addimus solum egregiam constitutionem Valentiniani I., in lege celeberrima, quae de archiatris urbis Romae data est, *l.* 8. §. 1. *C. Th. de med. et prof.*, hoc dicentis: „Quos (archiatros) etiam ea patimur accipere, quae sani offerunt pro obsequiis, non ea, quae periclitantes promittunt.“ Hoc edicto autem in Justinianeo quoque codice recepto, *l.* 9. *C. Just. de prof. et med.*, vix dubium esse potest, quin omnes medici sine discrimine ea lege teneantur. Cf. etiam *l.* 3. *Dig. de extraord. cogn. L.* 13. Haec de mercedibus professorum et medicorum prae-

mittenda erant. Sed ipsae mercedes privilegiis eorum adnumerari non possunt, neque personis illis privilegio quodam singulari opus fuit, quo jus accipiendarum mercedum iis competeret. Igitur ad rem nostram hoc unice spectat, de mercedibus professorum et medicorum extra ordinem jus dici. *L.* 1. *pr.* §. 1. *D. de extraord. cogn.* Sed et adversus eos Praeses cognoscere debet, *l.* 1. §. 9. *eod.*, velut si rhetor aut grammaticus cum discipulis de mercedibus pactus sit, postea vero aut scholam non aperuerit, aut schola aperta negligenter rem gesserit. Excepti sunt philosophi et juris civilis professores, quibus quamquam mercedes accipere possunt, tamen de iis jus non dicitur. An et philosophi professorum numero sint, quaerit Ulpianus *l.* 1. §. 4. *eod.*; quod non ita intelligendum est, quasi omnino dubium sit, philosophi professores sint necne? sed hoc solum quaeritur, an et philosophi eorum sint numero professorum, quibus extra ordinem jus dicatur? „Et non putem, respondet Ulpianus; „non quia non religiosa res est: sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Proinde ne juris quidem civilis professoribus jus dicent: est quidem res sanctissima civilis sapientia: sed quae pretio nummario non sit aestimanda, nec dehonestanda, dum in judicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti efferri debuit; quaedam enim, tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur.“ Contra vero aliis quibusdam personis, licet non sint professores, veluti ludi litterarii magistris,

aut licet non sint medici nisi alicujus partis corporis vel certi doloris, ut auriculariis, obstetricibus extra ordinem jus dicitur. *L.* 1. §. 2. 3. 6. 9. *D. eod.* Sed quaeri adhuc potest, quid inter extraordinarias cognitiones, de quibus tot Digestorum fragmenta loquuntur et cetera judicia Justiniani aetate interfuerit, quum ipse Justinianus dicat, omnia judicia suo tempore ita esse composita, ut extra ordinem jus dicatur. §. 8. *J. de interdictis IV.* 15. *Savigny l. l. p.* 76. *sq.* Heffterus V. Celeb. putat, in causis extraordinariae cognitionis Justiniani quoque aetate breviorem fuisse procedendi modum, sive ut nostrates dicunt, processum fuisse summarium, fortasse etiam de hisce causis non nisi certis diebus („dies cognitionum" ait) cognitum esse. *Institutionen des römischen und teutschen Civilprocesses. S.* 408. 409. Equidem non habeo certi aliquid, quod sententiae Viri eruditissimi, quam ipsa natura rei aliquatenus juvare videtur, objiciam; verumenimvero quum totam rem conjecturis solum assequi liceat, forsitan ea quoque sententia defendi possit, inter extraordinarias cognitiones ceteraque judicia Justiniani aetate omnino nullum amplius fuisse discrimen, compilatores autem Digestorum fragmentis illis, quibus de extraordinariis cognitionibus agitur, non ideo in Pandectis locum dedisse, quia in hisce causis alius et quidem brevior quam in ceteris causis procedendi modus Justiniani etiam aetate observatus fuerit, sed longe diversum finem eo assequi voluisse. Quid enim si quis dixerit, compilatores eo consilio, ut singulas juris Ro-

mani partes digererent, et quatenus fieri posset in ordinem systematicum redigerent, multa, quae non amplius in usu essent, in Digestis recepisse? Quid porro, si cui maxime quidem ob locum istum Institutionum (§. 8. *J. de interd.*) fragmenta illa de extraordinariis cognitionibus eam ob causam solum in Pandectis recepta esse videantur, quia alia quoque principia juris, quae in Justinianeo etiam jure valebant, in iis exposita sint? Nonne denique fieri potuit, ut compilatores normam quandam generalem judiciorum illius temporis in hisce exemplis exhibere vellent, quum omnia judicia ita tunc composita essent, ut extra ordinem jus diceretur? Jam vero missis ejusmodi conjecturis, unum restat, quod addatur. Probata enim ea sententia, inter extraordinarias cognitiones ceteraque judicia Justiniani aetate nihil omnino interfuisse, inde sequeretur, illo tempore jam non amplius professores et medicos hoc velut jus praecipuum habuisse, ut de mercedibus eorum extra ordinem jus diceretur; quod tamen quatenus contendi possit, in medio relinquendum erit.

5. Constantinus in *lege* 1. *pr. C. Th. de med. et prof. XIII.* 3. haec dicit: — — „in jus vocari eos (medicos et professores litterarum) vel pati injuriam prohibemus, ita ut, si quis eos vexaverit, centum millia nummorum aerario inferat a magistratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc poenam sustineant. §. 1. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari coram eo, cui fecerit injuriam, vel si dominus con-

sensit, viginti millia nummorum fisco inferat, servo pro pignore, donec summa haec exsolvitur, retinendo." Haec autem verba in *l.* 6. *C. Just. de med. et prof.* X. 52. in hunc modum immutata sunt: „Praecipimus — — nec ad judicium deduci, eximi, vel exhiberi, vel injuriam pati (professores et medicos): ita ut si quis eos vexaverit, poena arbitrio judicis plectatur." Cujacius in commentario ad *l.* 6. *C. Just. eod.* eam profert sententiam, professoribus et medicis hac lege facultatem dari, per curatores causas suas agendi: quae tamen opinio jam a Jac. Gothofredo in commentario ad *l.* 1. *C. Th. eod.* in dubium vocata, mihi quoque non placet. Gothofredus *l. l.* putat, Constantinum sacrosanctas quodammodo professorum et medicorum personas hac lege reddere voluisse. „Nempe, inquit, in jus vocari eos passim injuriasque his inferri, hos vexari mos incesserat, scilicet hoc genus hominum ac nominatim sophistae in contemtum venerant, tamquam ἀγροικοὶ essent foroque uti nescirent; (forte tanto magis quia Christiana religione jam invalescente in contemtum venerant hi professores ferme gentiles), sic ut ad fora judiciaque pertraherentur, hisque minae et formidines judiciorum imperitis intentarentur: id enim est hac lege in jus vocari." Sed Gothofredi etiam sententia, quamquam multo magis se commendare videtur, mihi non omnino satisfacit, eam potissimum ob causam, quod Constantinus non solum eam in jus vocationem, quae violenter fit, sed omnem in jus vocationem professorum et medicorum vetat

eamque perinde atque alias injurias puniri jubet. Mihi autem haec interpretationis ratio maxime arridet. Inde a Diocletiani temporibus vetus illud discrimen inter jus et judicium magis magisque evanuisse, constat. *Heffter l. l. p.* 287. Jam etiam in jus vocatio, etsi illa aetate nondum prohibita, attamen sensim sensimque in desuetudinem abiisse videtur, ita quidem, ut ejus loco celebrata denuntiatione lis „exordium auspicaretur." *L.* 2. 4. *C. Th. de denuntiat. vel ed. resc. II.* 4. *ed. C. F. C. Wenck.* Initio autem hanc novam denuntiationis formam tum solum adhibitam esse, quum contra personas honestiores agendum esset, probabile est, quum viliores personae diutius adhuc in jus vocarentur, sive ut leges posteriores dicunt, ad judicium deducerentur vel exhiberentur. Igitur, ut ad legem nostram revertamur, Constantinus non sacrosanctos professores ac medicos reddidisse, sed hoc maxime voluisse videtur, ut si quis in professorem aliquem aut medicum agere vellet, eos ut personas honestiores non in jus vocare auderet, sed potius denuntiatione uteretur. Justinianus postea omnes exhibitiones reorum prohibuit et in *Nov.* 151. *cap.* 1. aperte dicit: „Nos — omnem perductionem in jus exhibitionemque in judicio aversamur." *Heffter l. l. p.* 292. Exinde autem sequitur, ut *lege* 6. *Cod. Just. de prof. et med.*, quatenus ea professores et medicos ad judicium deduci vel exhiberi vetet, personis illis nullum jus praecipuum tribuatur, sed regula tantum generalis juris Justinianei in certum quoddam

personarum genus referatur. Ceterum lex Constantiniana gravissimam poenam ei imponit, qui in jus vocaret eos aut injuriam illis inferret. Distinguuntur autem tres casus. a. Si homo liber eos vexaverit, centum millia nummorum aerario inferat. *Gothofr. ad l. l. Tom. V. p.* 29. b. Si a servo inscio domino hoc factum sit, flagellis debeat a suo domino verberari coram eo, cui fecerit injuriam. c. Si a servo consentiente domino factum sit, dominus viginti millia nummorum fisco inferat, servo pro pignore, donec summa haec exsolvitur, retinendo. Tribonianus in lege sua ex hac interpolata et hujus mulctae et servi mentionem omnino sustulit et poenam mutavit in arbitrariam: itaque nihil hac in parte professores et medici praecipuum habent: nam cuilibet illata injuria arbitrio judicis coërcetur. *Cujac. in comment. ad l.* 6. *C. Just. de prof. et med.* Magistratus, qui in Constantini edicto nominantur, hac lege ut aliis quam plurimis legibus sunt Duumviri seu magistratus municipales, qui summam potestatem intra metas propriae civitatis exercebant. *Jac. Gothofr. l. l. Tom. V. p.* 29. *Savigny l. l. p.* 28. 29. Quinquennales autem eosdem esse magistratus municipales, qui in aliis legibus censores sive curatores dicantur, Savinius V. Celeb. *l. l. p.* 43. *sq.* ita demonstravit, ut nulli dubitationi relictus sit locus. Constantinus igitur mulctae illius exigendae curam injungit magistratibus vel quinquennalibus, qui si eam non exigerent, ipsi inferre tenerentur: sed hujus quoque rei memoria in Justinianeo codice sublata est.

6. Jam supra (pag. 16.) dictum est, usque ad Justinianum multos fuisse, qui inter servos suos medicos et medicas numerarent et Justinianum ipsum non semel de servis medicis utriusque sexus verba facere. Non alienum igitur ab hoc loco videtur, mentionem facere pretii, quod a Justiniano servis medicis constitutum est, quum inde pateat, quanti ars medica in illis etiam aestimata fuerit. Apud vereres juris auctores dubitatum erat, quid de communi servo, ab uno socio manumisso dicendum esset, et quatenus inprimis alteri socio necessitas imponi posset, socio manumissori partem suam vendendi. A Justiniano has altercationes decidente *in l.* 1. §. 1. *C. J. de comm. serv. manum. VII.* 7. generaliter sancitur: ut sive inter vivos, sive in ultima dispositione libertatem quis legitimam communi servo donare velit, semper a socio vendi debeat pars sua, quantam in servo possideat, sive dimidiam, sive tertiam, sive quantamcunque; et si plures sint socii, uno ex his libertatem imponere cupiente, a ceteris omnibus partes, quas in servo possideant, vendendae sint ipsi, qui libertatem servo imponere desideret, vel heredi ejus. Ne vero per ratiocinia de pretiis servorum libertas impediretur, opus visum est, ut quantitas servilis pretii lege statueretur. Igitur Justinianus *l. l.* §. 5. sancit, ut servi pretium sive ancillae, si nulla arte sint imbuti, viginti solidis taxetur, his videlicet, qui usque ad decimum aetatis annum (nondum) venerint, in decem tantummodo solidis ponendis; sin autem aliqua arte

praediti sint, exceptis notariis et medicis, et masculorum et feminarum pretium usque ad triginta solidos redigatur; sin autem notarius sit vel medicus, sive masculus, sive femina, notarius quidem usque ad quinquaginta, medicus autem usque ad sexaginta taxetur; sin vero eunuchi sint servi communes, majores decem annis, si quidem sine arte sint, in quinquaginta solidos computentur, si autem artifices, usque ad septuaginta. Itaque exceptis solum eunuchis, quorum pretiis cetera omnia nefas dictu inferiora sunt, medici maximi aestimantur et in alia quoque Justiniani constitutione, qua de optione servi vel alterius rei agitur, *l. 3. pr. C. Just. commun. de leg. VI. 43.*, eodem modo taxantur.

Hactenus de privilegiis professorum et medicorum in universum verbis factis, jam de singulis diligentius disserendum erit, et primum quidem de immunitate illis concessa, quae prae ceteris hoc proprium habet, ut cum tota re municipali Romanorum intime cohaereat.

§. VI. De muneribus et honoribus.

Disputaturo mihi de vacatione munerum civilium, qua professores et medici gaudent, opus videtur, ut munerum atque honorum antea brevem injiciam mentionem. „Munus publicum (nam de privatis hic non agitur, *l. 14. §. 1. D. de mun. et hon. L. 4.*) est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosque cives remque eorum imperio

Magistratus extraordinarium pervenit." Ita Pomponius *l.* 239. §. 3. *D. de verb. signif. L.* 16. Callistratus ait, publicum munus id dici, quod in administranda republica sumtu sine titulo dignitatis subeamus, *l.* 14. §. 1. *D. de mun. et hon.*; et ex Marciani sententia munus proprie est, quod necessarie obimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem. *L.* 214. *D. de verb. signif.* Cf. etiam *l.* 18. *D. eod.* Sed quum innumera sit in jure Romano munerum publicorum copia, definitiones istae nondum sufficere videntur, sed in eo ni fallimur res vertitur maxime, ut varia eorum genera recte distinguantur.

1. Primum igitur munera aut personalia aut patrimonii sunt. (In Digestis, quorum auctores aureae aetati paullo propiores erant, patrimonii munera dicuntur, quae patrimonialia in Codice, sed personalia in utroque libro celebrantur.) *L.* 1. 6. §. 3. *l.* 18. *Dig. de mun. et honor. L.* 4. Nonnulli jurisconsulti, verbi gratia Modestinus et Charisius duobus illis generibus munera mixta, quae alii patrimonii muneribus adnumerant, velut novum genus addunt. *L.* 18. §. 26. *l.* 1. §. 1. *D. eod.* Ceterum tota haec distinctio, tametsi ad ea potissimum munera, quae ad municipalem rempublicam pertinent, (quibus etiam ex mea quidem sententia nomen munerum prae ceteris tribuendum est, *l.* 18. *D. de. verb. signif. L.* 16.), in fontibus juris refertur: tamen in ea quoque munera, quae summae reipublicae causa injunguntur, quadrare videtur, et hanc sententiam etiam juris-

consultis Romanis placuisse, ex eo apertum est, quod inter alia militiam quoque et capitationem, id est jugationem terrenam muneribus adnumerant. *L.* 13. §. 1. *D. de vacat. et excus, mun* (*L.* 5.) *l.* 18. §. 29. *D. de mun. et hon. L.* 4.

2. Deinde quaedam munera summae reipublicae causa injunguntur, alia vero et quidem pleraque ad municipalem rempublicam spectant. *Roth. lib. II. c.* 4. *p.* 114.

3. Porro sunt munera, quae certis ordinibus, velut curialibus, senatoribus, comitibus, perfectissimis adscribantur, quum in aliis hujus ordinum discriminis nulla habeatur ratio. *L.* 2. *C. Th. de med. et prof. XIII.* 3. Decuriones inprimis innumeris muneribus debitisque officiis vexatos fuisse, satis constat, unde iterum iterumque novis opus fuit edictis, ne curiales per militiam aut peregrinationes aut recessum in solitudines et secreta ad coetus μοναζόντων aut obtentum christianitatis aut imaginarias sive adumbratas dignitates, veluti eorum, qui ex comitibus, ex praesidibus etc. dicebantur, aut senatoriam dignitatem aut denique ullo alio modo illegitimo munera et obsequia curiarum fugere conarentur. *L.* 10. 11. 12. 13. 18. 22. 23. 24. 25. 36. 40. 41. 43. 48. 63. 76. 82. 86. 87. 93. 123. 143. *C. Th. de decurion. XII.* 1. *cum comment. Jac. Gothofredi.* Cf. *etiam Paratitl. ad h. tit. Tom. IV. p.* 355. *Fr. Roth. l. l. lib. II.* c. 14. *Savigny l. l. p.* 23. *sq.*

4. Deinde alia sunt munera **ordinaria** et constantia, alia vero **extraordinaria** et incerta, quae extra ordinem imponi solent.

L. 6. 8. §. 3. *D. de vac. et exc. mun.* (*L.* 5.) *l. unic. C. Just. de vac. publ. mun.* (*X.* 45.) *l.* 2. §. 2. *l.* 33. §. 7. *C. J. de episc. et cler. I.* 3.

5. Denique quaedam sunt munera sordida, quae et sordidae functiones, vilia munera aut humiliora officia dicuntur, *Tit. C. Th. de extraord. s. sord. mun. XI.* 16. *Paratitl. J. Gothofr. T. IV. p.* 116.; alia vero honoratiora habentur, veluti omnia, quae decurionibus injunguntur, quos humilioribus officiis occupari non licet. *L.* 17. §. 7. *D. ad munic.* (*L.* 1.) *l.* 14. *C. J. de suscept. X.* 70. Vilia autem illa munera, licet corporalia etiam sint sive personalia munera, quae sordidorum appellatione continentur, *l.* 8. §. 4. *D. de vac. et exc. mun. L.* 5., longe tamen maximam partem in numero extraordinariorum sunt munerum, quae patrimoniis indicuntur, ob eamque causam iis fontium locis, quibus de extraordinariis ejusmodi muneribus agitur, enumerantur. Pro sordidis autem muneribus inter alia habentur calcis excoctio, temonaria functio, carbonis praebitio, pistrini obsequium, viarum et pontium sollicitudo, pollinis conficiendi cura, paravedorum praebitio etc. *L.* 15. 18. *C. Th. de extraord. s. sord. mun.*

Hactenus de variis munerum generibus in universum dictum est. Sed velut summum eorum genus id mihi esse videtur, in quo distinguuntur et personalia munera, et patrimonii, et mixta. *Mühlenbruch. Doctrina Pand.* §. 225. Jam igitur de isto munerum discrimine paullo plenius disserendum erit. Personalia igitur munera sunt, quae animi provi-

sione et corporalis laboris intentione sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, veluti tutela aut cura, defensio civitatis, id est, ut aliquis syndicus fiat, calendarii quoque curatio et quaestura in aliqua civitate. Porro tironum sive equorum productio, et si qua alia animalia necessario producenda vel res pervehendae sunt, verbi gratia pecuniae fiscales vel annona sive vestis, personae munus est. Item cursus vehicularis sollicitudo, calefactio publici balnei, si ex reditibus civitatis alicujus pecunia subministratur, porro cura custodiendi aquaeductus, camelasia, id est camelorum agitatio exhibitioque, annonae divisio, judicandi necessitas et sexcenta alia inter munera personalia habentur. *L.* 1. §. 2—4. *l.* 18. §. 1—17. *D. de mun. et hon. L.* 4. Patrimoniorum sunt munera, quae sumtibus patrimonii et damnis administrantis expediuntur. Haec vero munera duplicia sunt; quaedam enim possessoribus injunguntur, sive municipes vel incolae sunt sive non sunt, veluti agminales equi vel mulae et angariae atque veredi, eaque etiam peculiari intributionum nomine veniunt: quaedam non nisi municipibus atque incolis, et haec patrimoniorum munera sensu strictissimo dicuntur. *L.* 1. §. 1. *l.* 6. §. 4. 5. *l.* 18. §. 18—25. *D. eod.* Mixta denique sunt munera, quae utrumque habent, et laboris et periculi rei familiaris molestiam, et haec quidem saepius etiam muneribus patrimonii aggregantur, ita ut a nonnullis jureconsultis, verbi gratia Ulpiano et Hermogeniano, non triplex sed duplex tantum munerum

personalium et patrimoniorum distinctio facta sit. *L.* 1. *pr. l.* 6. §. 3. *D. eod.* Exempla sunt decaprotia sive decemprimatus et icosaprotia sive vigintiprimatus, nam decemprimi (decem seniores et principes senatores in municipiis aliisque civitatibus liberis, *Liv. Histor. XXIX.* 15. *Cic. pro Rosc. Amer.* 9. *In Verr. II.* 67. *Savigny l. l. p.* 70. 71.) et vigintiprimi, quibus officium tributorum exigendorum datur, et corporale ministerium gerunt et pro omnibus defunctis fiscalia detrimenta resarciunt, ut merito inter mixta hoc munus numerari possit. *L.* 18. §. 26. *D. de mun. et hon.* Nihilominus vero Impp. Diocletianus et Maximianus (*l.* 8. *C. J. de mun. patr. X.* 41.) rescripserunt, non ambigi decaprotiae munus tantum patrimonii esse.

Omnia haec munera, sive bifariam sive trifariam dividantur, uno vocabulo comprehenduntur; nam et personalia et patrimoniorum et mixta munera civilium seu publicorum nomine veniunt. *L.* 18. §. 28. *D. de mun. et hon.* Sed hoc non praetermittendum est, leges et mores singularum civitatum circa munera publica multum inter se discrepuisse. In quibusdam enim civitatibus munera nonnulla sine aliquo gerentis detrimento expediebantur, quibuscum in aliis civitatibus periculi propriarum facultatum molestia conjuncta erat, ita ut in illis quidem personalia, in hisce vero mixta essent munera. Verbi gratia qui annonam exigebat, quandoque non nisi personalis muneris sollicitudinem sustinebat, quandoque autem et desertorum praediorum damna susti-

nere debebat. *L.* 1. §. 2. *in fin. l.* 18. §. 27. *D. eod. l.* 5. §. 1. *D. de jur. immun. L.* 6.

A muneribus bene distinguendi sunt honores municipales. Munera publica sine titulo dignitatis geruntur; sed honor municipalis est administratio reipublicae cum dignitatis gradu, sive cum sumtu, sive sine erogatione contingens. Igitur dignitas inter munera et honores discrimen facit. *L.* 14. *pr. D. eod.* In numero honorum Decurionatus est, *l.* 5. *D. de vac. et exc. mun.* (*L.* 5.) *l.* 2. §. 8. *l.* 6. *pr. l.* 7. §. 2. *D. de decur. L.* 2.; sed et qui magistratus civitatum proprie dicuntur, veluti Duumviri et Quatuorviri, Censores, quibus etiam Curatorum aut Quinquennalium tribuitur nomen, et alii dignitate fruuntur, eorumque officia non munera sed honores appellantur. *L.* 7. §. 2. *D. eod. Roth. l. l. lib. II. cap.* 3.

Jam quaeritur, quid appellatione immunitatis significetur? In constitutionibus nonnullis immunitas pro capitationis indulgentia dicitur, *Tit. C. Th. de immun. conc. XI.* 12. *Tit. C. J. de immun. nem. conced. X.* 25.; plerumque autem et maxime in Digestis immunitas vacationem munerum civilium in universum significat et quum capitatio quoque sive jugatio terrena (cf. de ea *Savigny über die Röm. Steuerverfassung pag.* 2.) munus patrimonii nuncupari possit, immunitas sensu priori ab immunitate sensu posteriori eo quo species a genere differre videtur. Nos quidem usum loquendi jurisconsultorum Romanorum secuturi sumus, ita ut immunitatem de vacatione munerum civilium intelligamus. Sed jam

supra dictum est, sexcentas esse immunitatum in jure Romano varietates. Primum enim si de iis quaeritur, qui immunitate gaudeant, sciendum est, non solum singulis personis aut universis ordinibus sed nonnunquam singulis etiam familiis vacationem concessam esse. Exemplum affero familiae Gordiani III., cui hoc senatus decrevit, ut a tutelis atque a legationibus et a publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri ejus semper vacarent. *Jul. Capitol. Gordian. Tert. c.* 32. Huc accedit, quod qui vacationem habent, non omnes iisdem fruuntur privilegiis; quid? quod immunitates singulorum ordinum cursu temporum saepenumero maximopere mutatae sunt. Exinde igitur sequitur, singularem quamlibet immunitatem accuratius semper describendam atque definiendam esse. Tota res autem ex mea quidem sententia in eo vertitur maxime, ut certa quaedam interpretationis regula de immunitate constituatur, eam inprimis ob causam, quod jurisconsulti aeque ac Principes hac appellatione frequentissime simpliciter utuntur. In universum igitur id tenendum est, non extensivam quam dicunt, sed restrictivam potius interpretationem locum hic habere. Quum enim munera omnia ob necessitatem publicam constituta sint, hoc semper probabile est, (nisi contrarium certo demonstrari possit,) non pleniorem sed non nisi minus plenam concessam esse vacationem. Quodsi quaeritur, quid inter minus plenam et pleniorem intersit immunitatem, probe tenendum est, modo personalia tantum munera, modo et ea,

quae patrimoniorum sunt, remitti; modo a muneribus, quae ad rempublicam municipalem spectant, aliquem excusari, modo etiam ab iis, quae summae reipublicae causa injunguntur; porro nunc ordinaria, nunc extraordinaria quoque remitti; denique modo sordidorum tantum, modo eorum etiam, quae pro sordidis non habentur, tribui vacationem. Sed munera personalia facilius remittuntur quam ea, quae patrimonii sunt; munerum, quae ad rempublicam municipalem pertinent, non ita difficulter datur vacatio quam eorum, quae summae reipublicae causa imponuntur; denique jurisconsulti et Principes remissioni munerum ordinariorum et sordidorum minora objecisse videntur impedimenta quam remissioni extraordinariorum atque eorum, quae pro sordidis non habebantur. *L.* 18. §. 29. *D. de mun. et hon.* (*L.* 4.) *l.* 2. §. 4. *l.* 8. § 4. *l.* 10. *pr. l.* 11. 13. §. 1. *D. de vac. et excus. mun.* (*L.* 5.) *l.* 15. 18. *C. Th. de extraord. s. sord. mun.* (*XI.* 16.) *l.* 2. 3. 5. 7. 9. 10. *C. J. de mun. patrim.* (*X.* 41.) *l.* 3. *C. J. de quib. mun.* (*X.* 48.) *l.* 1. *C. J. de his, qui num. lib. X.* 51. Jam hisce regulis, quae quidem ex collatione magnae legum copiae elici debent, ad singulas immunitates translatis dicendum erit, immunitatem simpliciter alicui tributam non nisi de muneribus personalibus, quae municipalis reipublicae causa perpetranda sint, intelligendam esse. *L.* 18. §. 29. *D. de mun. et hon. l.* 3. *C. J. de mun. patrim.* Sed ne ad illa quidem munera omnia hanc vacationem referre licet, nam Modestinus in *l.* 15. §. 12. *D. de excus. XXVII.* 1.

ait: Ὁ λαβὼν ἢ ἔχων ἀλειτουργησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουργιῶν, οὗτος ἐπιτροπῆς οὐκ ἀφεθήσεται, unde sequitur, ut vacationem tutelae et curae nemo nisi cui nominatim concessa sit, habeat. Quid? quod immunitas simpliciter alicui data nonnunquam unice fere de remissione munerum sordidorum corporalium intellecta esse videtur. *L.* 8. §. 4. *D. de vac. et exc. mun. L.* 5. Plenius est tribuendae munerum publicorum vacationis genus, quum et militiae datur, quippe quod munus summae reipublicae causa obeundum est, *l.* 13. §. 1. *D. eod.*, et remissio patrimonii munerum, quae impensas exigunt, plenam facit immunitatem. Sed munera, quae patrimoniis publicae utilitatis gratia indicuntur, omnes secundum regulam subire debent. „Ab his oneribus, Paulus ait *l.* 10. *pr. D. eod.*, quae possessionibus vel patrimonio indicuntur, nulla privilegia praestant vacationem," et Hermogenianus *l.* 11. *eod.* copiosius hanc rem ita explicat: „Sunt munera, quae rei proprie cohaerent: de quibus neque liberi, neque aetas, nec merita militiae, nec ullum aliud privilegium jure tribuit excusationem: ut sit praediorum collatio, viae sternendae, angariarumve exhibitio, hospitis suscipiendi munus: (nam nec hujus quisquam excusationem, praeter eos, quibus Principali beneficio concessum est, habet:) et si qua sunt praeterea alia hujusmodi." Idem multis constitutionibus Principum confirmatur, veluti Alexandri in *l.* 3. *C. J. de mun. patr. X.* 41. hoc rescribentis: „Qui immunitatem munerum publicorum consecuti sunt, onera patrimonio-

rum sustinere debent: in quibus causis et hospites recipiendi sunt", aut Cari, Carini et Numeriani, a quibus in *l.* 5. *C. J. eod.* hoc rescribitur: „Neque tempore aetatis, neque numero liberorum, a muneribus, quae patrimoniorum sunt, excusationem quis habere potest." Dicendum igitur est, nemini prorsus munera patrimoniorum remissa fuisse, nisi cui eorum vacatio Principali beneficio nominatim tributa esset. Exinde autem apparet, certum aliquod jus generale de illis immunitatibus omnino non exstitisse. In mero enim Principis arbitrio vacationes istae positae fuerunt, nec errare nobis videmur, si Praesides etiam provinciarum et Magistratus civitatum in hisce ut in aliis partibus juris publici pravos frequentissime Imperatorum aemulatores fuisse censemus.

§. VII. De immunitate professoribus et medicis usque ad Constantini aetatem concessa.

Jam ad professores et medicos vacationemque iis tributam revertimur. Sed aptum esse videtur, ut qualis haec ante Constantinum fuerit, qualis facta sit legibus Constantini ejusque successorum, seorsum tractetur. Constantinus enim, qui recte vituperari potest, quod rem municipalem tot tempestatibus intactam gravissime adflixit, quod veterem illam longaque consuetudine probatam necessitatibus reipublicae distributis inter cives muneribus satisfaciendi rationem infregit atque infinitas plerisque immunitates concessit: professorum

etiam ac medicorum immunitates magnopere auxit, neque in hoc acquievit, sed eorum uxores etiam atque filios multis vacationibus donavit. *L.* 2. 3. *C. Th. de med. et prof. XIII.* 3. Cf. de Constantino *Fr. Roth. l. l. lib. I. c. XII.*

Medicis jam ab Augusto munerum vacatio sive ἀτέλεια, ut Dio Cassius *LIII.* 31. *Vol. I. p.* 725. ait, tributa est, postquam Antonius Musa medicus celeberrimus ψυχρολουσίαις et ψυχροποσίαις gravi periculo Principem exemerat. *Pl. H. N. XXIX.* c. 5. *Suet. Aug.* 59. 81. Sed probabile esse videtur, initio non nisi munera personalia medicis remissa fuisse. Ἀτέλεια enim est immunitas, qua simpliciter alicui data, a muneribus patrimonii eum non liberari, jam supra vidimus. Non constat, quem Imperatorem vacatio illa paullo post etiam professoribus concessa auctorem habuerit, sed hos quoque brevi intervallo eam accepisse, ex rescripto Vespasiani colligere licet, quod aperte pronuntiat, grammaticis, oratoribus, philosophis et medicis immunitatem ne hospitem reciperent a Principibus concessam esse. *L.* 18. §. 30. *Dig. de mun. et hon. L.* 4. Munus enim hospitis domo recipiendi non personae sed patrimonii munus est, *l.* 3. §. 14. *D. eod.*; horum autem munerum, quippe quae difficilius quam munera personalia remittebantur, immunitas vacatione munerum personalium tempore non prior fuisse, sed potius eam secuta esse videtur. Igitur praeceptores liberalium disciplinarum jam diutius ante Vespasianum a personalibus muneribus videntur liberati fuisse. Certe Trajani aetate eos hanc libertatem nec immerito ut videtur sibi

vindicasse, epistola illa Pliniana (*X.* 66.) initio commentationis nostrae laudata argumento est. Munus enim judicandi, quod Archippus ut philosophus fugere volebat, inter munera personalia habebatur. *L.* 18. §. 14. *D. de mun. et hon. L.* 4. Sed Hadrianus statim simul atque imperium cepit professoribus ac medicis jampridem datas immunitates confirmavit, et quare haec confirmatio initio principatus data sit, loco Suetonii (*Tit. c.* 8.) optime illustratur. Quum enim ex instituto Tiberii omnes dehinc Caesares beneficia a superioribus concessa Principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, Titus principatum ingressus primus praeterita omnia uno confirmavit edicto nec a se peti passus est. *Dion. Cass. LXVI.* 19. *Vol. II. p.* 1093. *Aurel. Vict. Caesar. c.* 10. Eandem consuetudinem insequentes etiam Principes tenuere, *Edictum Nervae in Plin. Ep. X.* 66., et inde etiam nunc in more omnium fere gentium positum est, ut mortuo Principe a successore ejus initio principatus immunitates, beneficia, privilegia, honores a superioribus donati concessive Principibus confirmentur. *Cujac. in Comment. ad l.* 6. *D. de excus. p.* 1026. Jam igitur Hadrianus morem illum a Tito institutum nominatim circa professores et medicos secutus est, scribens: *φιλοσόφους, ῥήτορας, γραμματικοὺς, ἰατροὺς ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν, σιτωνίας, ἐλαιωνίας, καὶ μήτε κρίνειν, μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν, ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι.* *L.* 6. §. 8. *D. de excus. XXVII.* 1.

Vacant itaque professores et medici ex hac constitutione praefectura gymnasiorum; item agoranomiis, quas Ant. Augustinus aedilitias curas recte interpretatur in *comm. ad l. l. p.* 1575., et Cujacius quoque in *comm. ad l. l. p.* 1026. de aedilitate, proprie de cura annonae rerumque promercalium intelligit; porro immunes sunt a sacerdotiis provinciarum, quae qui adepti sunt, ludis praesunt in honorem Deorum institutis cum sumtu aliquo, unde sacerdotium munus patrimonii dicitur. *L.* 8. *C. J. de mun. patr.* X. 41. Exempla sunt Ἀσιαρχία, *Βιθυνιαρχία*, *Καππαδοκιαρχία*, quae quidem ipsae pro tempore sacerdotii immunitatem a tutela tribuunt. *L.* 6. §. 14. *D. de excus. l.* 8. *pr. D. de vac. et exc. mun.* (*L.* 5.) *l.* 1. *C. J. de off. com. Or.* (*I.* 36.) *l.* 2. *C. J. de cupressis ex luc. Daphn. etc.* (*XI.* 77.) *l.* 1. *C. J. de natur. lib.* (*V.* 27.) *Nov.* 89. *c.* 15. *pr.* Liberantur metatorum molestia, id est onere hospitis recipiendi, nam *ἐπισταθμία* secundum Hesychium est *ὑποδοχὴ ξένων*. *L.* 8. *C. J. de metatis XII.* 41. *Tit. C. Th. de metatis VII.* 8. Haec autem hospitalis molestiae vacatio professoribus et medicis nominatim etiam per rescriptum Hadriani confirmata est. *L.* 18. §. 30. *D. de mun. et hon. L.* 4. *Σιτώνας*, id est frumentarios, sive *ἐλαιώνας*, id est olearios eos creari invitos Hadrianus vetat; igitur a cura frumenti oleique emendi immunes sunt. *L.* 18. §. 5. *D. eod. l.* 2. *pr. D. de exc. et vac. mun.* (*L.* 5.) *l.* 9. §. 6. *D. de admin. rer. ad civ. pert. L.* 8. Vult denique Imperator, ne ad munus judicandi, quod alias invitis quoque injungi solet, *l.* 13. §. 2. *D. de exc. et vac. mun. L.* 5.,

vel ad legationem vel ad militiam adigantur, neque ullum provinciale aliudve munus subire inviti cogantur. De vacatione tutelae atque curae professoribus ac medicis concessa edicto Hadriani proprie quidem non agitur; quum vero a militia adeo illae personae excusentur, dubitari nequit, quin illa quoque munera jam sub Hadriano iis remissa fuerint, et Modestinus ea de immunitate ut de re notissima loquitur. *L.* 6. §. 1. *D. de excus.* Ad has immunitates mox etiam remissio ab angariarum praestatione accessit, et licet Paulus in *l.* 10. §. 2. *D. de exc. et vac. mun. L.* 5. hanc vacationem commemorans de medicis taceat et non nisi liberalium artium professorum mentionem faciat, tamen probabile esse videtur, eam ad medicos haud secus ac magistros litterarum referendam esse. Angariarum vero praestationes sunt equorum praestationes ad cursum publicum. *Ant. August. l. l. p.* 1576. Sed quum usque ad Antoninum Pium numerus professorum et medicorum, qui immunitatibus illis in unaquaque civitate fruerentur, non constitutus esset, Imperator ille certum quendam eorum numerum pro diversitate singularum civitatum statuit et conditiones nonnullas, e quibus commodum vacationum illarum pendere in posterum deberet, lege proposuit. Qua de re quum infra plenius dicendum sit, hoc loco sufficiat, caput epistolae Antonini Pii, quae quidem non nisi communitati Asiae scripta, sed a jurisconsultis universo orbi conveniens habita est, sicuti a Modestino in *l.* 6. §. 2. 3. 4. 7. *D. de excus.* refertur, subje-

cisse. „*Αἱ μὲν ἐλάττους πόλεις δύνανται πέντε ἰατροὺς ἀτελεῖς ἔχειν, καὶ τρεῖς σοφιστὰς, καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους, αἱ δὲ μείζους πόλεις ἑπτὰ τοὺς θεραπεύοντας, τέσσαρας τοὺς παιδεύοντας ἑκατέραν παιδείαν, αἱ μέγισται πόλεις δέκα ἰατροὺς καὶ ῥήτορας πέντε καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους. Ὑπὲρ δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν οὐδὲ ἡ μεγίστη πόλις τὴν ἀτέλειαν παρέχει. Εἰκὸς δὲ τῷ μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρήσασθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν, τῷ δὲ δευτέρῳ τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν, τῷ δὲ τρίτῳ τὰς λοιπάς. Τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ὑπερβαίνειν μὲν οὐκ ἔξεστιν, οὔτε ψηφίσματι βουλῆς, οὔτε ἄλλῃ τινὶ παρευρέσει· ἐλαττοῦν δὲ ἔξεστιν, ἐπειδήπερ ὑπὲρ τῶν πολιτικῶν λειτουργιῶν φαίνεται τὸ τοιοῦτο γινόμενον. Καὶ μέντοι οὐκ ἄλλως τὴν ἀλειτουργησίαν ταύτην καρπώσονται, ἐὰν μὴ δόγματι βουλῆς ἐγκαταλέγωσιν τῷ ἀριθμῷ τῷ συγκεχωρημένῳ, καὶ περὶ τὸ ἔργον ὀλιγώρως μὴ ἔχωσιν. — — Φιλοσόφων δὲ οὐκ ἐτάχθη ἀριθμὸς, διὰ τὸ σπανίους εἶναι τοὺς φιλοσοφοῦντας.*"

Jam igitur dicendum erit, inde a tempore Antonini Pii ad Constantinum usque professores et medicos, qui intra numerum essent, primum quidem munerum omnium personalium vacationem habuisse, deinde vero a quibusdam etiam muneribus patrimonii, veluti metati, sacerdotii, angariarum et si qua alia hujusmodi fuerint, (*l.* 11. *D. de vac. et exc. mun. L.* 5.), gratia Principum liberatos fuisse. Fuere tamen etiam supra illum numerum immunes, qui eruditione scientiaque magnopere excellerent. *L.* 6. §. 10. *D. de excus.*

Restat, ut hoc loco de philosophis et legum doctoribus paullo plenius dicamus, quoniam quidem in eorum immunitate singularia quae-

dam sunt atque insolita. Sed in hoc argumento tractando ultra fines aetatis Constantinianae progredi necesse erit, ne distrahantur, quae re ipsa inter se juncta sunt. Philosophorum igitur quum certus quidam numerus, qui in unaquaque civitate vacatione frui deberent, ab Antonino Pio non constitueretur, haud dubie voluit Imperator, ut quotquot invenirentur philosophi immunes essent; raros enim esse, qui philosopharentur ob eamque causam numerum eorum, quibus immunitas concedenda esset, vix nimis augeri posse, censuit. *Roth. l. l. p.* 129. Quodsi ex eo patet, quanti apud veteres facta sit philosophia in quantaque dignatione veri fuerint philosophi, tamen miro modo factum est, ut jurisconsulti haud secus ac Principes philosophis inprimis asperiores se ac severiores saepius praebuerint. In ore enim habent, qui philosophus censeri velit, ab eo opes ac divitias contemnendas esse, (unde etiam philosophis de mercedibus extra ordinem jus non dicitur, *l.* 1. §. 4. *D. de extr. cognit. L.* 13.), quas si non spernat, inde jam manifestum esse eum non philosophari. Hanc sententiam profert Modestinus, dum verbis illis Antonini Pii de non constituendo certo quodam philosophorum numero in *l.* 6. §. 7. *D. de excus.* haec addit: „*Οἶμαι δὲ, ὅτι οἱ πλούτῳ ὑπερβάλλοντες ἐθελονταὶ παρέξουσιν τὰς ἀπὸ τῶν χρημάτων ὀφελείας ταῖς πατρίσιν· εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὰς οὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες.*“ Idem fere a Papiniano in *l.* 8. §. 4. *D. de exc. et vac. mun.* pronuntiatur: „Philosophis, qui se frequentes atque utiles per ean-

dem studiorum sectam contendentibus praebent, tutelas, item munera sordida corporalia remitti placuit: non ea, quae sumtibus expediuntur: etenim vere philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendae cupidine fictam adseverationem detegunt." Porro eandem rationem Diocletianus etiam secutus est, quum philosopho alicui ignoto, qui munera patrimonio suo imposita recusabat, hoc rescriberet: Professio et desiderium tuum inter se discrepant: nam quum philosophum te esse proponas, vinceris avaritia et rapacitate: et onera, quae patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris, quod frustra te facere ceterorum exemplo poteris edoceri." *L.* 6. *C. J. de mun. patr. X.* 41. Denique praetermittere non licet, quod a Valentiniano I. in *l.* 7. *C. Th. de prof. et med. XIII.* 3. de philosophis constitutum est: „Reddatur unusquisque patriae, qui habitum philosophiae indebite et insolenter usurpare cognoscitur, exceptis his, qui a probatissimis approbati ab hac debent colluvione secerni. Turpe enim est, ut patriae functiones ferre non possit, qui etiam fortunae vim se ferre profitetur." Ceterum is philosophus, qui inde ab anno 425 in auditorio publico urbis Constantinopolitanae philosophiam docuit, haud secus ac ceteri omnes hujus auditorii professores, viginti scilicet illi grammatici Atticae et Romanae doctrinae, quinque rhetores Graeci, tres Latini, duo denique juris ac legum doctores, *l.* 3. *C. Th. de stud. lib. u. R. et C. XIV.* 9., munerum publicorum vacationem habuisse videtur. Sed in Digestis quo-

que atque Justinianeo codice philosophi haud raro in numero professorum liberalium artium, quibus immunitas concessa sit, nominantur, nec dubitari potest, quin Imp. Justinianus philosophis etiam veterem illam munerum civilium vacationem in universum confirmare voluerit. *L.* 6. §. 5. 7. 8. *D. de excus.* (*XXVII.* 1.) *L.* 6. 11. *C. J. de prof. et med. X.* 52. Attamen notatu dignum est, omnes locos compilationis Justinianeae, quibus de philosophorum immunitate agitur, aut ex scriptis veterum jurisconsultorum depromtos esse aut Principes superiores habere auctores. Contra vero fontes juris alios exhibent locos, qui argumento esse videantur, studia philosophiae, quae quidem in provinciis occidentalibus Romani imperii nullo tempore perinde atque in Orienti et nominatim in Graecia Aegyptoque floruisse videntur, jam inde ab exeunte saeculo quarto ex multis scholis publicis paullatim emigravisse. Non ignoro quidem, quanta famae celebritate scholae philosophiae Alexandriae et Athenis quarto etiam et quinto saeculo floruerint; qua de re lectorem maxime ad Vitam Procli a Marino ejus discipulo scriptam remitto, ubi de scholis illis, de studiis philosophiae, quae saeculo quinto Athenis potissimum sedem suam collocaverant, de celeberrimis denique illius scholae praeceptoribus, inprimis de Syriano Procli magistro et Proclo ipso multa lectu dignissima narrantur. Cf. *edit. quam curavit Boissonade Lipsiae* 1814. *inprimis cap.* ή — ιγ. *pag.* 6 — 11. *In versione Lat.* c. *VIII.* — *XIII.* *p.* 36 — 41. Quo melius

haec res cognoscatur, multum etiam *Prolegomena Jo. Alb. Fabricii*, quae Boissonade denuo typis excudi curavit, faciunt, quibus *p. XXXIII. sq.* edocemur, in schola Atheniensi hos philosophos: Jamblichum, Syrianum, Proclum, Marinum, Isidorum et Damascium sibi successisse aut *διαδόχους* fuisse. Sed ne vana atque inania de studiis philosophiae jam inde ab exeunte saeculo quarto ex multis scholis publicis paullatim exsulantibus dixisse videar, his potissimum utor argumentis. Tacet omnino de philosophis lex illa celeberrima (*l.* 11. *C. Th. de med. et prof. XIII.* 3.) Imp. Gratiani, quae de scholis frequentissimarum in Galliis urbium data est, et rhetorum solum ac grammaticorum Atticae Romanaeque doctrinae mentionem facit. Huc accedit, quod Ausonius quoque in carminibus de clarissimis professoribus Burdigalae aliarumque urbium Galliarum philosophos omnino silentio praetermittit. In constitutione Theodosii II., qua de Academia sive Universitate litterarum, ut hodie loquimur, urbis Constantinopolitanae agitur, *l.* 3. *C. Th. de stud. lib. u. R. et C. XIV.* 9., triginta ceteris professoribus grammaticae, rhetoricae et juris civilis unus solus adjungitur philosophus. Sed in edicto etiam, quo Theodosius II. professoribus iis, qui in urbe Constantinopolitana doceant, comitivam primi ordinis sub certis quibusdam conditionibus pollicetur, nonnullis vero doctoribus scholae illius, velut grammaticis Graecis Helladio et Syriano, Latino Theophilo, sophistis Martino et Maximo et jurisperito Leontio hanc comitivam jam tribuit, de philo-

sophis nihil dicitur. Ceterum hoc edictum (*C. Th. VI.* 21.) perinde ac *leg.* 53. *C. Th. de oper. publ. XV.* 1. partem esse videri prolixioris Theodosianae constitutionis modo laudatae, Jac. Gothofredus existimat. *Tom. II. p.* 113. *sq.* Porro Athalarici quoque Regis Ostrogothorum oratio egregia ad Senatum urbis Romae (circa a. 534.), quae annonas professoribus publicis absque nundinatione ulla et sine ulla deminutione exsolvi jubet, de philosophis tacet et non nisi grammaticos, oratores et juris expositores commemorat. *Cassiod. Var. IX.* 21. Sed in Justiniani Institutionibus quoque, ubi enumerantur, qui a tutela et cura excusentur, non apparent philosophi. §. 15. *J. de excus. I.* 25. *Theophil. eod.* Denique illa etiam constitutione, cui nomen est pragmaticae sanctionis, Justinianus annonas quidem eas, quas Reges Ostrogothorum praeceptoribus et medicis dare soliti fuerant, in posterum quoque iis erogari jubet, sed philosophis praetermissis duntaxat de grammaticis, oratoribus et jurisperitis loquitur. *Cap.* 22.

Jam ad legum doctores eorumque immunitatem transgredimur. Modestinus in *l.* 6. §. 12. *D. de excus.* ait: „Νόμων δὲ διδάσκαλοι ἐν ἐπαρχίᾳ διδάσκοντες, ἄφεσιν οὐχ ἕξουσιν· ἐν Ῥώμῃ δὲ διδάσκοντες ἀφίενται.“ Vetus interpres verba haec ita Latine vertit. „Legum vero doctores in aliquo praesidatu docentes, remissionem non habebunt. Romae autem docentes a tutela et cura remittuntur.“ Sed nulla omnino exstat ratio, quare vox illa ἀφίενται duntaxat de tutelae et curae vacatione intelligatur, et nobis quidem Ant. Augustini versio magis pla-

cet: „Legum praeceptores in provincia docentes vacationem (i. e. munerum civilium) non habent, Romae docentes habent." Haud dubie igitur immunitas eorum, qui jus civile Romae docebant, non alia erat ac ceterorum omnium professorum, qui aut Romae aut in aliis civitatibus intra numerum legitimum juventutem liberalibus disciplinis instituebant. Nec est, quod miremur, legum doctoribus, qui Romae florebant, prae ceteris insignem tributum esse favorem. Licet enim ex illo Modestini loco appareat, juris civilis scholas praeter Romanam non vetitas fuisse: Romae tamen longe celeberrimam juris disciplinam fuisse, satis constat. Quamquam igitur ex variis provinciis Romani imperii etiam aliorum studiorum causa, ad Urbem propter copiam optimorum magistrorum, tamquam ad mercatum, undique magno numero juvenes confluxerunt: tamen juris potissimum discendi causa peti Romam a provincialibus solitam fuisse, multa exstant documenta. *Herm. Conring. Dissert. ad leg. 1. C. Th. de st. lib. u. R. et C. XIV. 9. p. 14. sq.* Quod in Fragmentis Vaticanis nuper repertis §. 150. dictum est, eos qui jus civile doceant, a tutelis non excusari, argumento non est, aetate hujus collectionis (quae in Occidenti fortasse exeunte saeculo quarto aut ex ingeniosa Schroeteri, Viri mihi carissimi, conjectura saeculo quinto inter annos 426 et 438 eo potissimum consilio, ut juris praecepta secundum legem Valentiniani III., vulgo Citirgesetz vocatam, *l. 1. C. Th. de resp. prud. I. 4.*, colligerentur, a privato quodam facta est; cf. *Ephemer. litt.*,

quibus nomen est Hermes *Bd. XXV. Heft* 2. *p.* 370.) veterem illam immunitatem professoribus juris civilis, qui Romae docebant, ademtam fuisse; sed hoc solum inde colligere licet, hanc juris collectionem certe non Romae confectam esse et hoc idem etiam ex §. 149. *ibid.* sequi videtur. Igitur de legum doctoribus nihil in Fragmentis Vaticanis continetur, quod verbis Modestini ullo modo repugnet. Jam inde a saeculo tertio Beryti in Phoenice, quae quidem urbs a Theodosio II. metropolis nomine ac dignitate exornata est, *l. un. C. J. de metrop. Ber. XI.* 21., schola jurisprudentiae celeberrima, de cujus origine nihil constat, floruit. *L.* 1. *C. J. qui aet. vel prof. se exc. X.* 49. *Jac. Gothofr. comm. ad l.* 19. *C. Th. de ann. et trib. XI.* 1. *Tom. IV. p.* 32. *Zimmern l. l.* §. 68. Quatenus vero legum doctoribus hujus scholae jam ante Justinianum immunitas concessa fuerit, in medio relinquendum est. Sed duo illi antecessores, qui inde ab anno 425 legitimam scientiam in schola Constantinopolitana docuerunt, haud dubie perinde ac grammatici et rhetores auditorii Constantinopolitani munerum civilium vacationem habuerunt. *L.* 3. *C. Th. de stud. lib. u. R. et C. cum comment. J. Gothofr. Tom. V. p.* 229. *sq.* Romae sub imperio Ostrogothorum prisca immunitas legum doctoribus servata esse videtur, quum annonas etiam haud minus ac grammatici et rhetores acceperint. *Cassiod. Var. IX.* 21. Denique a Justiniano professoribus juris civilis vetus immunitas plene confirmata est, nam lege Constantini, qua de munerum vacatione medicis et professoribus concessa agitur, *l.* 1. *C. Th. de med. et prof. XIII.* 3., in Justinianeo codice recepta, legum doctores, in Constantini edicto omissi, per interpolationem factam juxta medicos, archiatros, ex archiatris, grammaticos et alios professores litterarum locum acceperunt. *L.* 6. *C. J. de prof. et med. X.* 52. Justinianus vero jus civile extra regias urbes et Berytum doceri vetuit. „Haec autem tria volumina a nobis composita (scil. Institutiones, Digesta et Codicem), ait in *Const. Omnem* §. 7., tradi eis (discipulis) tam in regiis urbibus, quam in Berytiensium pulcherrima civitate, quam et Legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus: quod jam et a retro Principibus constitutum est, (non constat, a quibus?) et non in aliis locis, quae a majoribus tale non meruerunt privilegium: quia audivimus etiam in Alexandrina

splendidissima civitate et in Caesariensium, et in aliis (nominatim Athenis, *Biener Geschichte der Novellen. Anhang p.* 581. *sq.*) quosdam imperitos homines devagare et doctrinam discipulis adulterinam tradere; quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, ut si ausi fuerint in posterum in hoc perpetrare et extra urbes regias et Berytiensium metropolim hoc facere, denarum librarum auri poena plectantur et rejiciantur ab ea civitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt." Sed huic Justiniani interdicto certe Alexandriae male obtemperatum est, uti ex eo apparet, quod circiter viginti annis post quam factum est, Agathias continuator Procopii studiis juris civilis ibi operam dedit. *Agath. de rebus Justin. Lib. II. p.* 51. *edit. Paris. Heineccii hist. jur.* §. 360. Praeterea satis constat, tempore constitutionis illius Justiniani, anno scilicet 533, Romam Italiamque sub ditione Ostrogothorum adhuc fuisse; sed post excidium etiam regni Ostrogothici legum professoribus, qui Romae docebant, vetera privilegia a Justiniano non ademta esse, pragmatica illa sanctio jam supra laudata satis demonstrat. De numero legitimo antecessorum, qui in unaquaque trium illarum civitatum aetate Justiniani jus civile docuerint, dubitatur. Vidimus supra, Theodosium II. ceteris professoribus Academiae Constantinopolitanae duos, „qui juris ac legum formulas panderent," adjunxisse; licet autem hoc Theodosianum edictum in Justinianeum quoque codicem translatum sit, *l. un. C. J. de stud. lib. u. R. et C. XI.* 18., tamen est quod dubitemus numerum hunc duorum antecessorum in posterum etiam scholae Constantinopolitanae suffecisse. Probabile potius esse videtur, anno 533 tam Beryti quam Constantinopoli quatuor fuisse juris professores; nam constitutio Omnem octo antecessoribus scripta est, quorum unus, Salaminius scilicet, quem Justinianus in inscriptione a ceteris sejungit et disertissimum tantum antecessorem vocat, quum ceteri omnes illustres antecessores appellentur, fortasse, ut hodie loqueremur, professor extraordinarius vel suffectus fuit. Sed de numero legum doctorum urbis Romae ex constitutione illa omnino nihil colligi potest, *Zimmern l. l.* §. 69. *p.* 255. *sq.*; neque liquet, quid de eorum numero legitimo post excidium regni Ostrogothici a Justiniano constitutum sit.